262.13
C591

CLEMENTIS PAPAE VIII

DECRETALES

QUAE VULGO NUNCUPANTUR

LIBER SEPTIMUS DECRETALIUM CLEMENTIS VIII

PRIMUM EDIDIT

ANNOTATIONE CRITICA ET HISTORICA INSTRUXIT CONSTITUTIONIBUS RECENTIORIBUS SUB TITULIS COMPETENTIBUS INSERTIS AUXIT

FRANCISCUS SENTIS

SS. THEOLOGIAE ET IURIS UTRIUSQUE DOCTOR IURIS ECCLESIASTICI IN UNIVERSITATE FRIBURGENSI PROFESSOR.

ALMA COLLEGE
262.13
LIBRARY
C 591.8
Alma, California

FRIBURGI BRISGOVIAE

SUMTIBUS HERDER.

MDCCCLXX.

24070

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

PROLEGOMENA.

I.

Libro, quem lectoribus doctis tradituri sumus, pauca, quae sequuntur, tum ad eius indolem atque naturam perspiciendam, cum ad ipsius operis historiam nostrumque in eo edendo consilium et rationem cognoscendum, praemittenda esse videntur.

Quum ante tres annos in bibliothecis Romanis studiis iuris canonici incumberem in exemplar illius decretalium voluminis, quod Clementis Papae Octavi nomen capiti inscriptum habet [1], incidi. Quo viso vehementer dolui considerans, opus, quod posteritati traderetur, dignissimum, oblivioni traditum atque omnibus fere incognitum iacere. Itaque iam tum illam decretalium compilationem dato tempore in lucem edere decrevi. Quod quidem consilium ad nihilum redactum fuisset, nisi in libri fatis indagandis Romae vir et doctrina et humanitate maxime conspicuus mihi obvenisset, Augustinum Theinerum dico, secretiori Vaticano archivio praefectum, qui singulari,

[1] Observandum est, in exemplaribus typis descriptis titulum libri Septimi decretalium nusquam legi, sed in exemplaribus anno MDXCVIII. impressis operis inscriptionem hanc esse: *Sanctissimi Domini Nostri D. Clementis Papae VIII. decretales.* In aliis foliis praeparatoriis anno MDXCII. et MDXCIII. impressis eodem modo inscriptio „Decretalium Clementis P. P. VIII. liber primus, secundus“ . . . . legitur, ita ut pro toto volumine titulus „Clementis Papae VIII. decretales“ ab initio electus et recte adhibendus sit. Omnes autem auctores, qui de libro nostro scripserunt, eum librum Septimum decretalium dixerunt. Quem quidem titulum primus cardinalis Pinellus, congregationi cardinalium libro compilando ornandoque a Sixto V. et Clemente VIII. delegatae praefectus, adhibuit in notis manu sua scriptis. Etenim ad calcem indicis titulorum, qui in foliis praeparatoriis exstat, Pinellus manu sua verba haec adiecit: *„Finis titulorum primi, secundi et tertii libri Septimi decretalium.“* Quae notatio deinde a Prospero Fagnano (in commentariis ad quinque libros decretalium ad cap. cum venisset, de iudiciis), a Benedicto XIV. (de Synodo dioecesana Lib. XIII. cap. XXIV. n. 2.) ceterisque scriptoribus adhibita est. Inde corrigendus est Georg. Phillips, Kirchenrecht (Regensburg 1851), T. IV. pag. 480, aliique omnes auctores, asserentes, titulum editionis a. MDXCVIII. factae fuisse hunc: *Liber Septimus decretalium Clementis Octavi.*

qua praeditus est, benevolentia mihi obsecutus non solum documenta nonnulla in eodem secreto Vaticano tabulario latitantia exhibuit, e quibus lux desideratissima in libri nostri fata redundat, sed etiam id ipsum illius libri exemplar singulare et pretiosum, quod in privata sua bibliotheca tenebat, dono mihi benigne dedit.

Grato laetoque exinde animo in patriam reversus nihil potius habui, quam ut quantum temporis a iuris canonici docendi munere — primum quidem in alma Bonnensi, deinde in Friburgensi literarum universitate suscepto — reliquum esset, in exemplari isto pervolvendo, eiusque in indole partibusque singulis inquirendis impenderem.

Iam eo perventum est, ut ecclesiarum antistitibus, viris iuris canonici peritis et studiosis nec non omnibus literarum cultoribus singulare istud decretalium volumen novis typis excusum offerre possim. Quae quidem eius editionem admodum commendare videntur, breviter exponam.

Clementis VIII. decretalium volumen quamquam approbationem a summo pontifice desideratam non recepit, tamen uti monumentum historicum pretii singularis posteritati eam potissimum ob causam conservandum esse puto, quod viri et summis ecclesiae dignitatibus et doctrina aeque conspicui per sex fere lustra auctoritate apostolica operam et studium in eo congerendo ornandoque consumpserunt, atque ipsi summi pontifices, Gregorius XIII., Sixtus V., Clemens VIII., opus conficiendum non solum valde commendaverunt, immo iusserunt, sed etiam iidem summi pontifices laudati in operis collectione magnam curam multumque laborem adhibuerunt. Quis, quaeso, aegre non tulerit, opus a tota fere ecclesia efflagitatum, auspiciis praeclarissimorum summorum pontificum a viris doctissimis inceptum, per triginta fere annos ipsorum pontificum labore et ingenio fautum, ingentibus tandem laboribus sudoribusque absolutum, omnino oblivionis tenebris obrutum remanere? Juris canonici doctores profecto efflagitare mihi videntur, ut volumen istud tandem in publicam lucem emittatur, praesertim quum iam saepissime conquesti sint, exemplaria rarissima esse nec magno pretio emenda vel reperienda [1], nec exemplar voluminis unquam se vidisse fatean-

[1] *Joannes Devotus*, Institutiones canonicae (Romae 1825), Tom. I, Prolegomena, cap. VII, §. 92.

tur [1], nonnulli autem, iique graviores viri, num exstet omnino, valde dubitent [2]. Quod quidem eatenus valere videatur, ut persuasum mihi habeam, extra Urbem ipsam nullum omnino eius exemplar exstare, in Urbe praeter illud, quod in bibliotheca Casanatensi asservatur, vix alterum inveniri posse. Catalogos enim bibliothecarum vel archiviorum Romanorum quotquot pervolves, sive bibliothecam Angelicam, sive Barberinam Sessorianamve, sive Corsinianam vel Vallicellianam adieris, sive in aedes Sancti Petri ad vincula ascenderis, sive in Vaticana omnium praestantissima quaesieris, nullibi alterum exemplar invenire poteris. Quare factum est, ut viri iuris canonici peritissimi, cum illius decretalium operis mentionem faciant, non solum nihil certi referant, sed etiam aliorum vestigia secuti omnes fere in eosdem errores inciderint.

Sed erraret profecto, qui historicis tantum nostrum librum utilitatem afferre atque pretii esse putaret, immo utilem generatim eum dixerim nec a nostris certe diebus alienum. Etenim in eodem omnes trium recentiorum conciliorum generalium, Florentini videlicet, Lateranensis V. Tridentinique, sanctiones nec non summorum pontificum constitutiones per trecentos fere annos editae — remotis illis, quae Clementis VIII. tempore iam in desuetudinem abierant — quaeque pro rerum comprehensarum natura alio vagari videbantur, suo quaeque titulo locoque dispositae atque ordinatae leguntur. Qua ex parte ut magis utilem librum redderem, sategi, ut quantum in me fuit, bullas omnes, quae inde a tempore Clementis VIII. usque ad nostra tempora emanaverunt nec non decreta a summis pontificibus vel a sacris Romanis congregationibus auctoritate apostolica lata, quaeque universam habent et generalem rationem, unumquodque in compendiariam summam redigerem et sub suo quaeque titulo adiicerem, non typis textus Septimi, sed aliis typis primo aspectu novas constitutiones et decreta exhibentibus. Unde praeter generalium conciliorum sanctiones omne circiter ius pontificium, quod per sexcentorum fere annorum decursum constitutionibus conditum

---

[1] *Joannes Doujat*, Praenotionum canonicarum Lib. IV., cap. XXVI (Venetiis 1717), pag. 426 haec scribit: Hunc septimum decretalium librum Romae ita editum fuisse accepi, ut nec editus dici possit. *Eius certe exemplum qui viderit, neminem vidi.*

[2] Andr. Barbéri in ea quam curavit bullarii Romani continuatione, Tom. I. (Romae 1835) praefat. p. XI. not. 2 memorat „de existentia voluminis decretalium Clementis VIII. accuratiores bibliographos valde dubitare.“

est, summarii modo quod pertinet ad materiam suo quidque loco et titulo ordinatum atque in uno volumine congestum habes.

Aliam denique utilitatis rationem, quae in libro inest, attingere non praetermiserim, quippe quae ad procurandam hanc editionem maxime me commoverit. Dominicus Pinellus, S. R. E. cardinalis, in eo, quem decretalium libro completo praemisit prologo testatur, opus eiusmodi necessarium efflagitatum omnium praesulum, gymnasiorum totiusque ecclesiae vocibus fuisse. Sed quod, trecentis vix annis post ultimam authenticam decretalium collectionem elapsis, viris purpuratis, immo ipsis summis pontificibus atque omnibus in tota ecclesia iuris canonici peritis necessarium visum est, post alteros fere trecentos annos nullo modo absolutum videmus. Nostris vero temporibus praesules omnes, literarum universitates, eruditi iuris cultores, altius, ut ita dicam, vocibus sublatis, quam Gregorii XIII. temporibus, novam canonum collectionem, vel alterum, sed authenticum, librum septimum corpori iuris canonici inserendum efflagitare dicuntur. Quantum enim studium adhibendum est, quot libri, quanta volumina perlustranda, ut iura per sexcentos fere annos condita, in innumeris collectionibus privata auctoritate factis contenta, vel etiam extra eas vagantia, eruantur! Quot constitutiones summorum pontificum in forma bullarum vel brevium, quot literae encyclicae vel decreta, vim legum generalium habentia, quot decreta in congregationibus cardinalium facta et auctoritate apostolica approbata exstant, quae in bullariis aliisque collectionibus privatis desiderantur! Quot denique dubia oriuntur circa multas constitutiones, valeantne rerum conditionibus immutatis, nec ne? In quibus quidem omnibus supremum summi pontificis iudicium expostulari apparet.

Quae quum ita sint, profecto praesules, iureconsulti, theologi, gymnasia, tota iam ecclesia, canonicarum sanctionum authenticam collectionem altis vocibus optimo iure desiderare videntur. Hi, quum exauditi fuerint — et sperandum est, fore ut exaudiantur — iam Clementis VIII. volumen decretalium, qualecunque est, novo illi operi congerendo ornandoque partim fundamentum et formam praebebit, partim quae vitanda sint, docebit.

II.

Quicunque paulo accuratius de volumine decretalium iussu Clementis VIII. congestorum referre, sive indolem eius, sive rationem,

quam compilatores secuti sunt, enarrare voluit, editionem anno MDXCVIII. Romae paratam, utpote solam luci publicae destinatam, eamque a nobis denuo exhibitam, ante oculos habere debuit. Neque praefationes tantum Pinelli cardinalis diligentissime perlegendae, sed singula quoque capita libri cum conciliorum sanctionibus et constitutionibus apostolicis, ex quibus desumpta sunt, comparanda fuerunt. Hac demum ratione fieri potuit, ut indoles ac compositio libri decretalium accuratius exploraretur. Cum vero exemplaria essent rarissima, paucis tantum aditus ad collectionem illam patebat, paucique, quibus occasio inspiciendi tractandique libri data erat, paucissima retulerunt. Quin etiam e libro ipso accuratior notitia de origine fatisque eius percipi nequibat. Adhibuit quidem exemplaria anno MDXCVIII. parata Prosperus Fagnanus, canonista celeberrimus, quippe qui locos e praefatione disertis verbis deprompserit. Qui cum anno MDCXIV. secretarius congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum crearetur, itaque compilatoribus libri decretalium aequalis esset, facile historiam fide dignam libri conscribere potuit. Verum, quod dolendum est, nihil de hac re scriptum reliquit, nisi quod obiter tantum mentionem libri facit in suis commentariis ad quinque libros decretalium [1]. Atque pauca sunt, quae ibi refert. Nihilo tamen minus ex hoc solo fonte canonistis recentioribus hauriendum fuit, nec mirum, quod brevitas obscuritasque verborum ab ipso factorum apud posteriores varii modi errores genuit. Benedictus quoque Papa XIV. nonnisi occasione forte data de collectione locutus, cognitionem rei nostram non valde promovit [2]. Petrus Pithoeus nomina nonnullorum praelatorum a cardinale Pinello omissa memoravit, qui ad congregationem, cui cura redigendi decretalium libri commissa fuit, delegati fuerant [3]. Praeterea Rosshirt, Heidelbergensis professor celeberrimus, ex exemplari voluminis nostri, quo Romae usus erat, titulorum inscriptiones publici iuris fecit, sed ad singulas partes describendas non descendit [4]. Nemo vero adhuc

[1] Ad cap. Cum venisset, de iudiciis n. 61 sqq.

[2] *Benedictus XIV.*, Institutiones ecclesiasticae, Inst. XCI. n. 10; De Synodo dioecesana Lib. XIII. cap. XXIV. n. 2.

[3] *Petrus Pithoeus*, Appendix synopseos historiae virorum clarorum, qui praeter Gratianum canones et decreta ecclesiastica collegerunt; in editione corporis iuris canonici, quam *J. Hening. Boehmer* curavit, pag. 1242. Catalogum Pithoei descripsit *Joan. Doujat*, Praenotat. canonicar. lib. IV. cap. XXVI.

[4] *C. Fr. Rosshirt*, Rechtsgeschichte des Mittelalters, Mainz 1846. Band I., Seite 86, 366 ff.

dissertationem accuratius de libro nostro scribendam suscepit [1]. Unde multae quaestiones oriuntur, quae lucem clariorem desiderant, multi de eo errores circumferuntur, qui corrigendi sunt. Quodsi quid in his me allaturum esse confido, quo incerta clarescant, dubia dirimantur, errores corrigantur, hoc eam potissimum causam habet, quod non solum exemplari, anno MDXCVIII. impresso uti licuit, sed parilis exemplaris dominus benignitate Theineri effectus, occasionem et otium nactus eram ad singulas eius partes investigandas, easque cum conciliorum decretis et constitutionibus pontificiis, ex quibus desumptae fuerant, comparandas. Magnae etiam mihi utilitati fuerunt notae quaedam pretiosissimae, quas cardinalis Pinellus in margine foliorum singulorum iam antea impressorum manu sua exaravit. Sciendum est enim, post diuturnos labores praeparatorios tandem anno MDXCII. librum primum [2], insequenti anno ceteros quatuor libros, sed singulos, excusos fuisse [3]; sed id quidem non eam ob causam, ut exemplaria impressa publico usui inservirent, quod perperam Aemilius Ludovicus Richter arbitratus est [4]; sed ut singulis in congregatione consultoribus ea, quae etiam tum disponenda et ordinanda superessent, in uno conspectu exhiberentur, vel, ut ipse cardinalis Pinellus ait, ut primae visioni inservirent, id quod unicuique folia impressa perlustranti facile apparebit. Non est dubium, quin totidem exemplaria excusa fuerint, quot fere personae ad compilandum opus delegati essent; is enim mos invaluit in congregationibus Romanis. Exemplaria primae huius impressionis in diversis bibliothecis Romanis compluria asservantur, quae aut omnes quinque libros complectuntur, aut unum alterumve aut plures tantum con-

---

[1] Ex fontibus supra citatis notitias suas de Clementis VIII. decretalibus hauserunt: *P. Franz Schmalzgrueber*, Ius ecclesiasticum universum, dissertatio prooemialis §. VII., n. 288, 295. *E. Anaclet. Reiffenstuel*, Ius canonicum universum, prooem. §. IV., n. 62. *A. v. Droste-Hülshoff*, Grundsätze des gemeinen Kirchenrechts I. Bd., §. 40. *G. Phillips*, Kirchenrecht IV. Bd., S. 478 ff. *Aemil. Ludw. Richter*, Lehrbuch des kath. und protestant. Kirchenrechts (VI. Aufl.) §. 79. *J. Friedr. Schulte*, die Lehre von den Quellen des kath. Kirchenrechts (Giessen 1860), §. 74. Desselben Lehrbuch des kath. Kirchenrechts (II. Aufl.), §. 11. *Theod. Pachmann*, Lehrbuch des Kirchenrechts (Wien 1863), Bd. I., §. 60, aliique, quotquot recentiores de opere nostro scripserunt vel annotaverunt.

[2] Hinc omnes corrigendi sunt (*Phillips* l. c. p. 479; *Richter* §. 79), qui anno 1593 volumen decretalium impressum fuisse docent.

[3] Quinque libri Romae apud Paulum Bladum (non P. Piladum, ut perperam apud Rosshirt et Phillips legitur) impressorem cameralem typis excusi sunt.

[4] *Richter* l. c. pag. 231 idem volumen, quod anno 1593 impressum fuit, anno 1598 publicatum esse scribit.

tinent [1]. Prioris generis exemplaria, quae omnes libros exhibent, tria me invenire memini. Unum, quod in bibliotheca Vaticana exstat [2], alterum, quod in bibliotheca Casanatensi, tertium, quod in secretiori Vaticano tabulario servatur. Casanatense et Vaticanum exemplar eo insignita sunt, quod notulas manu eorum in margine adscriptas exhibent, qui congregationi interfuerunt. Exemplari Casanatensi nonnisi licentia a summo pontifice pro tempore existente obtenta uti licet [3]. Sed omnibus praeferendum mihi visum est exemplar, quod in secretiori Vaticano archivio asservatur, quia notulae in margine scriptae ipsius cardinalis Pinelli manu exaratae sunt, quibus nonnulla de libro nostro scitu digna praebentur. Illas per Augustini Theineri benignitatem mihi licuit exscribere. Saepe etiam in notulis Pinellianis liber congregationis laudatur, qui maiorem forsitan lucem in volumen nostrum effunderet, sed neque in bibliotheca Vaticana neque in secreto Vaticano tabulario invenire mihi contigit.

Non parvi denique pendendae sunt notulae recentiores per annos MDCVII. et MDCVIII. in margine exemplaris Casanatensis anno MDXCVIII. impressi manu exaratae, unde in historiam compilationis decretalium a Clemente VIII. paratae nova lux redundat; id quod hactenus a nemine observatum fuit.

Ex documentis a me allatis iam de historia voluminis, de eius indole, de ratione denique, quam in eo congerendo ornandoque cardinalium congregatio secuta sit, disserendum est.

III.

Omnibus quidem notum est, post publicatas anno MCCCXVII. a Joanne XXII. Clementinas constitutiones nullam exinde ex pontificiis

---

[1] In bibliotheca Barberina Cod. X. D. 7. asservantur in duobus tomis libri quatuor operis nostri; in altero videlicet tomo liber II. et III., in altero liber IV. et V. *Andreas Barbéri*, loco supra pag. 3, nota 2 citato, folia a. 1592 et 1593 impressa se vidisse testatur in bibliotheca praesulis Mariani de Aquino, ut videre est, ait, in eius catalogo impresso Romae pag. 62.

[2] Biblioth. Vaticana, liber impress. Cod. III. L. 9. 10. In textu codicis multa manu correcta et annotata leguntur, multa folia manu inscripta et in codice affixa sunt. Unde patet, in singulis congregationis sessionibus librum adhibitum fuisse.

[3] In principio voluminis manu alicuius italico idiomate scripta haec leguntur: Non si dia ad alcuno e molto meno si permetta che siano copiate le postille che sono scritte nei margini senza licenza del Papa esistente pro tempore, come dalli quì annessi biglietti.

decretalibus et conciliorum generalium sanctionibus canonum collectionem factam esse, quae a summis pontificibus vim auctoritatemque receperit. Iam trecenti fere anni elapsi erant, atque decretales apostolicae huc illuc vagabantur, et ne privata quidem earum collectio, si extravagantes, quae Joannis XXII. et communes dicuntur, excipias, facta vel usu recepta erat [1]. Exinde fieri non potuit, quin magnae perturbationes in iudiciis et in scholis exorirentur, neque mirum est, quod authentica canonum collectio novissima, quae authenticis antiquis complemento esset, a praesulibus et gymnasiis ubique efflagitabatur. Celebrato igitur concilio Tridentino, quum eruditi iuris cultores artem criticam cum iurisprudentiae studio coniungerent et primum quidem summorum pontificum auspiciis emendationi Gratiani codicis, deinde etiam ceterarum corporis iuris canonici partium manus admota esset, et de fausto operis suscepti exitu non dubitaretur, nihil iam in hac provincia reliquum visum est, quam ut collectio illa recentiorum canonum in tota ecclesia desiderata susciperetur, perficeretur, auctoritate apostolica confirmata in lucem prodiret. Quibus votis pro suis ingeniis obsecuti sunt Gregorius XIII. et Sixtus V. summi pontifices, quippe qui et iuris canonici peritissimi et in cardinalatus dignitate constituti partem non mediocrem in emendando corporis iuris canonici textu habuerint [2]. Pinellus narrat, Gregorium XIII. arduum hoc negotium non uni viro, sed trium cardinalium congregationi demandasse. Fuere Flavius Ursinus, Romanus, Franciscus Alciatus, Mediolanensis, Antonius Caraffa, Neapolitanus. Alciatus et Caraffa cardinales etiam congregationi, quae de emendatione Gratiani appellata est, interfuerunt.

Annum, quo summus pontifex viris illis sapientia et scientia praeclarissimis hanc provinciam commiserit, Pinellus non indicat, sed quum cardinalis Franciscus Alciatus die XII. a. Cal. Mai. an. MDLXXX obierit [3], certe ante hunc annum congregatio instituta

[1] Medio saeculo decimo sexto coeptae quidem sunt constitutiones colligi et in publicam lucem emitti; sed prima huiusmodi collectio nonnisi sexaginta bullas complectebatur (Bullae diversorum pontificum a Joanne XXII. ad Julium III. ex bibliothec. Ludovici Gomes. Romae 1550). Alia Romae 1559 apud Ant. Bladum facta centum sexaginta tres bullas exhibet. Ampliores quae exinde factae sunt compilationes iam in tempus incidunt, quo volumen decretalium nostrum ordinari coeptum erat.

[2] *Augustinus Theinerus*, Disquisitiones criticae in praecipuas canonum et decretalium collectiones (Romae 1836); Praefatio p. VIII., IX.

[3] *Aug. Theinerus* l. c. pag. VIII.

fuit [1]. Unde sequitur, eodem tempore, quo Romae canonicas sanctiones ad perfectiorem, immo absolutissimam formam, quantum fieri poterat, revocare studebant, ad postremam canonum collectionem elaborandam ordinandamque manum admotam fuisse, opusque susceptum per triginta fere annos studiis congregationis suppositum remansisse. Gregorii XIII. tempore libro nostro non mediocrem curam impensam fuisse, iam ex eo patet, quod Papa ipse partem magnam curae atque laboris susceperit, quippe qui, ut ait Pinellus, multa ipse manu sua exaraverit, elucubraverit, monuerit. Gregorio mortuo [a. d. IV. Id. Apr. MDLXXXII.] totum negotium Sixto V. transmissum est, qui praedecessoris vestigiis inhaerens congregationem aliis doctrina literisque praestantissimis viris auxit. Pridie ante festum principum apostolorum anno MDLXXXVII. [2] Dominicum Pinellum, S. R. E. cardinalem, congregationi praefecit eique totum negotium ita impense, uti ipse Pinellus narrat, ita vehementer imposuit, ut excusare vel ob magnitudinem muneris, vel ob ceteras suas occupationes aliaque impedimenta nulla ratione liceret. Ipsi vero praefecto collegas adiutores sibi assumere Papa concessit eique potestatem dedit tum episcopos tum sacri palatii auditores aliosque praelatos evocandi, quos usu, literis, ingenio praestantissimos haberet. Hippolytum quoque cardinalem Aldobrandinum, qui postea Papa Clemens VIII. fuit, in adiutorum numerum se recepisse Pinellus valde gloriatur. Praeter Aldobrandinum Ascanium Columnam, Hieronymum Matteium, Hieronymum Pinellum cardinales sibi adiunxit. Adiutores congregationi adsciti sunt Lucius Saxus, episcopus Rupanus, Seraphinus Olivarius, Laurentius Blanchettus et eius in Galliam profecti loco Hieronymus Pamphilius, Franciscus Pegna et Pompeius Arrigonius, qui omnes Rotae Romanae auditores erant; quibus accessit Pompeius Arrestinus, advocatus consistorialis; Secretarius congregationis Julius Caesar Ottinellus nominatus est [3]. Lucius

---

[1] Nescio, cur *Rosshirt* p. 367 sq. Pinello asserenti a Gregorio XIII. congregationem institutam esse, fidem habere haesitet. Ex eo, quod in regestis pontificiis nulla documenta de hac re exstant, non sequitur, Gregorium XIII. nihil in hac parte iussisse.

[2] Inde corrigendus est Pithoeus l. c., et Doujat l. c., qui anno MDLXXXVIII. hoc negotium Pinello demandatum esse scripserunt.

[3] Nomina, quae Pinellus non habet, ex dissertatione Petri Pithoei nota citata descripta sunt. Nescio, an satis accurate a Pithoeo scripta sint; conferatur *Doujat*, Praenotat. canon. l. c. pag. 426; Dubito num sub pontificatu Sixti V. cardinalis Hieronymus Pinellus vixerit.

decretalibus et conciliorum generalium sanctionibus canonum collectionem factam esse, quae a summis pontificibus vim auctoritatemque receperit. Iam trecenti fere anni elapsi erant, atque decretales apostolicae huc illuc vagabantur, et ne privata quidem earum collectio, si extravagantes, quae Joannis XXII. et communes dicuntur, excipias, facta vel usu recepta erat [1]. Exinde fieri non potuit, quin magnae perturbationes in iudiciis et in scholis exorirentur, neque mirum est, quod authentica canonum collectio novissima, quae authenticis antiquis complemento esset, a praesulibus et gymnasiis ubique efflagitabatur. Celebrato igitur concilio Tridentino, quum eruditi iuris cultores artem criticam cum iurisprudentiae studio coniungerent et primum quidem summorum pontificum auspiciis emendationi Gratiani codicis, deinde etiam ceterarum corporis iuris canonici partium manus admota esset, et de fausto operis suscepti exitu non dubitaretur, nihil iam in hac provincia reliquum visum est, quam ut collectio illa recentiorum canonum in tota ecclesia desiderata susciperetur, perficeretur, auctoritate apostolica confirmata in lucem prodiret. Quibus votis pro suis ingeniis obsecuti sunt Gregorius XIII. et Sixtus V. summi pontifices, quippe qui et iuris canonici peritissimi et in cardinalatus dignitate constituti partem non mediocrem in emendando corporis iuris canonici textu habuerint [2]. Pinellus narrat, Gregorium XIII. arduum hoc negotium non uni viro, sed trium cardinalium congregationi demandasse. Fuere Flavius Ursinus, Romanus, Franciscus Alciatus, Mediolanensis, Antonius Caraffa, Neapolitanus. Alciatus et Caraffa cardinales etiam congregationi, quae de emendatione Gratiani appellata est, interfuerunt.

Annum, quo summus pontifex viris illis sapientia et scientia praeclarissimis hanc provinciam commiserit, Pinellus non indicat, sed quum cardinalis Franciscus Alciatus die XII. a. Cal. Mai. an. MDLXXX obierit [3], certe ante hunc annum congregatio instituta

---

[1] Medio saeculo decimo sexto coeptae quidem sunt constitutiones colligi et in publicam lucem emitti; sed prima huiusmodi collectio nonnisi sexaginta bullas complectebatur (Bullae diversorum pontificum a Joanne XXII. ad Julium III. ex bibliothec. Ludovici Gomes. Romae 1550). Alia Romae 1559 apud Ant. Bladum facta centum sexaginta tres bullas exhibet. Ampliores quae exinde factae sunt compilationes iam in tempus incidunt, quo volumen decretalium nostrum ordinari coeptum erat.

[2] *Augustinus Theinerus*, Disquisitiones criticae in praecipuas canonum et decretalium collectiones (Romae 1836); Praefatio p. VIII., IX.

[3] *Aug. Theinerus* l. c. pag. VIII.

fuit [1]. Unde sequitur, eodem tempore, quo Romae canonicas sanctiones ad perfectiorem, immo absolutissimam formam, quantum fieri poterat, revocare studebant, ad postremam canonum collectionem elaborandam ordinandamque manum admotam fuisse, opusque susceptum per triginta fere annos studiis congregationis suppositum remansisse. Gregorii XIII. tempore libro nostro non mediocrem curam impensam fuisse, iam ex eo patet, quod Papa ipse partem magnam curae atque laboris susceperit, quippe qui, ut ait Pinellus, multa ipse manu sua exaraverit, elucubraverit, monuerit. Gregorio mortuo [a. d. IV. Id. Apr. MDLXXXII.] totum negotium Sixto V. transmissum est, qui praedecessoris vestigiis inhaerens congregationem aliis doctrina literisque praestantissimis viris auxit. Pridie ante festum principum apostolorum anno MDLXXXVII. [2] Dominicum Pinellum, S. R. E. cardinalem, congregationi praefecit eique totum negotium ita impense, uti ipse Pinellus narrat, ita vehementer imposuit, ut excusare vel ob magnitudinem muneris, vel ob ceteras suas occupationes aliaque impedimenta nulla ratione liceret. Ipsi vero praefecto collegas adiutores sibi assumere Papa concessit eique potestatem dedit tum episcopos tum sacri palatii auditores aliosque praelatos evocandi, quos usu, literis, ingenio praestantissimos haberet. Hippolytum quoque cardinalem Aldobrandinum, qui postea Papa Clemens VIII. fuit, in adiutorum numerum se recepisse Pinellus valde gloriatur. Praeter Aldobrandinum Ascanium Columnam, Hieronymum Matteium, Hieronymum Pinellum cardinales sibi adiunxit. Adiutores congregationi adsciti sunt Lucius Saxus, episcopus Rupanus, Seraphinus Olivarius, Laurentius Blanchettus et eius in Galliam profecti loco Hieronymus Pamphilius, Franciscus Pegna et Pompeius Arrigonius, qui omnes Rotae Romanae auditores erant; quibus accessit Pompeius Arrestinus, advocatus consistorialis; Secretarius congregationis Julius Caesar Ottinellus nominatus est [3]. Lucius

---

[1] Nescio, cur *Rosshirt* p. 367 sq. Pinello asserenti a Gregorio XIII. congregationem institutam esse, fidem habere haesitet. Ex eo, quod in regestis pontificiis nulla documenta de hac re exstant, non sequitur, Gregorium XIII. nihil in hac parte iussisse.

[2] Inde corrigendus est Pithoeus l. c., et Doujat l. c., qui anno MDLXXXVIII. hoc negotium Pinello demandatum esse scripserunt.

[3] Nomina, quae Pinellus non habet, ex dissertatione Petri Pithoei nota citata descripta sunt. Nescio, an satis accurate a Pithoeo scripta sint; conferatur *Doujat*, Praenotat. canon. l. c. pag. 426; Dubito num sub pontificatu Sixti V. cardinalis Hieronymus Pinellus vixerit.

Saxus, Laur. Blanchettus et Pomp. Arrigonius postea a Clemente VIII. ad cardinalatum evecti sunt [1]. Omnes igitur viri a Pinello praefecto electi muneri commisso ita vacabant, ut anno MDXCII. quae decreta canonesque recipienda viderentur, electa, sub suo quaeque titulo disposita ordinataque essent, et eodem anno insequentique singuli operis libri in separatis foliis impressi exstarent. Deinde ad primam visionem congregatio accessit, quo in munere integrum annum et quatuor menses versata est. Die Veneris XXVII. mensis Augusti a. MDXCII. sessio prima indicta est, et sic deinceps die Veneris uniuscuiusque fere hebdomadis sessiones habitae sunt. Ex notis manu Pinelli cardinalis scriptis mihi constat, pro primi libri examine saltem unam et viginti sessiones institutas fuisse, pro ceterorum quatuor librorum visione viginti quatuor quidem Pinellus annotavit, sed multo plures fuisse coniicere licet. Diem, quo uniuscuiusque libri examen absolutum fuit, Pinellus in calce eiusdem sua manu notavit. In fine libri quinti haec verba adiecit: *Die Veneris XVII. Decembris 1593 ad Dei laudem et eiusdem Genitricis Virginis Mariae sanctorum apostolorum Petri et Pauli fuit impositus finis huic primae visioni sub Clemente VIII. anno eius II. Dominicus Cardinalis Pinellus* [2]. In qua quidem visione multa delenda, nonnulla addenda, alia immutanda vel transferenda vel in compendium redigenda, aliquos titulos omittendos esse decretum est. Quae ita decisa fuerunt, iam omnia iuxta mentem congregationis disponenda erant. Extremo anno MDXCIII. ait Pinellus, factus est finis ea undequaque seligendi et recognoscendi, quae inserenda in canonum corpus essent. Sed gravissimum adhuc supererat negotium, ut disponerentur et evocarentur singula ad suos titulos et capita, ut decreta pressim atque strictim proponerentur, ut circumvestirentur suo quodam stilo et colore iuris. Quod munus quum Pinellus ipse suscepisset, omni corporis et animi contentione ad finem perducere conatus est. Valde enim timendum erat, ne, si quid interim humani ei contingeret, qui unus semper negotio praefuisset, qui

---

[1] *G. Phillips* Kirchenrecht, Band IV. §. 479 minus recte censet, tres istos viros *post* promotionem ad cardinalatus dignitatem a Clemente VIII. factam in congregationem assumptos fuisse.

[2] Similiter idem praefectus in calce libri primi haec annotavit: *Laus Deo eiusque matri gloriosissimae Virgini Mariae et impositus finis die Veneris XIX. Februarii 1593.* Eisdem verbis usus est in calce libri tertii, die Veneris XXIII. Julii 1593.

tractasset et cognovisset unus rudem illam et prope infinitam molem scriptorum atque notarum, opus tam utile, elucubratum, exspectatum omnino interiret. Quo casu non solum ipsius cardinalis praefecti labor diuturnus, qui propria manu plurima adnotaverat atque praescripserat, sed eorum etiam virorum doctissimorum, quos sibi adiunxerat, fere frustratus fuisset. Calendis igitur Augusti MDXCVIII. Pinellus volumen decretalium completum, in typographia camerae apostolicae eodem anno impressum [1], Clementi VIII. summo pontifici, quod ab eodem approbationem auctoritatemque reciperet, obtulit.

IV.

Iam exoritur quaestio, unquamne haec decretalium collectio pontificiam approbationem auctoritatemque a Pinello petitam acceperit indeque a Clemente VIII. publicata fuerit, ut nonnulli asseruerunt addentes, statim publicationem revocatam et exemplaria suppressa fuisse [2]. Quae quidem quaestio cum altera, quid causae fuerit, cur iste canonum codex iuris publici factus non sit, cohaeret. Quum vero omnes fere iuris canonici doctores, qui in hac causa sententias maxima ex parte erroneas dixerunt, Fagnanum secuti sint, ipsius verba hic afferre iuvabit. „Extremo anno 1593“, ait [3], „factus est finis ea undique seligendi et recognoscendi, quae inserenda in canonum corpus essent. Magnopere autem haesitatum est, num in extrema hac compilatione inseri deberent oecumenicorum conciliorum Florentini ac Tridentini canones etiam ad dogmata pertinentes; et tandem optimis rationibus in eam itum est sententiam, ut inserentur, licet collectiones tam Gregorii IX., Bonifacii VIII. et Clementis V., quam antiquiores . . . paucissimis dogmatibus sint respersae [4]. Itaque volumen extremam manum accepit die 25. Julii anno

---

[1] Romae, ex typographia camerae apostolicae. Ad calcem totius voluminis typis excusa leguntur verba haec: Finis libri quinti et totius operis die XXV. Julii 1598.

[2] Ita *Phillips* Kirchenrecht, l. p. 480. *Richter* l. c. *Schmalzgrueber* l. c. Contra Phillips l. c. asserentem, librum *publicatum* fuisse, iam *Schulte*, Quellen p. 352 n. 1. optime observavit, id ex Fagnano deduci non posse, indeque sententiam Phillips reiiciendam esse.

[3] In cit. cap. Cum venissent, de iudiciis n. 61 sqq.

[4] *Phillips* l. c. p. 479 sq. censet, in foliis anno 1593 impressis decreta concilii Tridentini ad dogmata pertinentia non contenta indeque factum fuisse, ut, cum deinde recipienda censerentur, opus post plures demum annos absolveretur. Sed iam in foliis anno 1592 et 1593 impressis concilii Tridentini de fide decreta et canones recepta fuerunt.

1598, *sed cum typis iam excusum sub nomine septimi libri decretalium Clementis VIII. propediem esset publicandum, gravis emersit difficultas,* quod cum decreta fere omnia concilii Tridentini in eo inserta iam in corpus iuris canonici redacta essent, negandum non erat, quin iuris peritis liceret eis applicare glossas et commentarios; ita enim in praecedentibus compilationibus factum videmus. . . . Quod igitur ad veteres canonum collectiones factum est, nulla ratio suadebat, cur non idem esset permittendum ad extremam hanc compilationem septimi libri decretalium. Id vero ex diametro adversabatur constitutioni Pii IV. prohibentis, ne super decretis concilii Tridentini edantur glossae et commentarii ullumve omnino interpretationis genus. *Tanti autem huiusmodi prohibitio habita fuit, ut hanc unam ob causam substiterit huius voluminis publicatio.*" Ita Fagnanus. Ex ipsius autem verbis satis clare effici videtur, publicationem omnino secutam non esse. Publicatio voluminis prius profecto fieri non potuit, quam summi pontificis approbationem recepisset. Eam praedecessores impertire solebant transmittendis novis canonum compilationibus ad doctores et scholares in universitatibus literarum Bononiae, Parisiis commorantes una cum literis apostolicis, quibus collectio auctoritatem vimque reciperet eiusque usus in scholis et in iudiciis praescriberetur. Quam approbationem cardinalis Pinellus a Clemente VIII. enixe efflagitavit in literis suis ad Papam datis, quae in capite huius voluminis typis descriptae leguntur. „Ego tibi", ait, „nunc offero volumen decretalium, ut accipiat a tuo iudicio utilis operis iudicium, a Romano pontifice auctoritatem, a Clemente VIII. gloriam quandam praecipuam. Vivet, si iusseris." Sed hanc vitam Clemens VIII. nunquam ei dedit. Nullum invenitur vestigium vel indicium, a Papa compilationem literarum universitatibus transmissam fuisse, nulla constitutio pontificia, qua ei auctoritas visque collata sit. Frustra igitur et minus recte nostrates publicationem factam fuisse asseruerunt. Sed nec eorum opinio admittenda videtur, qui iam factam fuisse voluminis integram editionem multorum exemplarium credunt, quae *ante* publicationem suppressa et deleta fuerint [1]. Nullum documentum vel testimonium fide dignum exstat, qua opinio eiusmodi fulciatur. Attamen alia exemplaria praeter

[1] Praeter auctores supra p. XI. nota 2. citatos etiam *Schulte*, Quellen l. c. hanc sententiam secutus est.

ca, quae die XXV. Julii MDXCVIII. plene excusa ex typographia camerae apostolicae prodierunt, nullibi inveniuntur. Exemplaria vero tunc impressa non apta erant, quae statim publicarentur, quippe quae approbatione apostolica carerent. Absonum profecto fuisset, multa millia exemplorum edenda in posterum parare, priusquam constitutio summi pontificis ad confirmandam editionem sive edita sive voluimini ipsi praefixa esset. Unde optimo iure coniicio, ab initio pauca tantum exemplaria excusa fuisse, quae pontificis iudicio subiicerentur, quaeque post acceptam pontificiam auctoritatem typis iam ordinatis multiplicanda essent.

Difficultates, quibus secundum Fagnanum publicatio impediebatur, statim post volumen a Pinello Clementi VIII. oblatum exortae esse videntur [1]. Sed eas in unica causa a Fagnano allata positas fuisse, cur omnino opus istud ingentibus laboribus paratum, praesulum, gymnasiorum totiusque ecclesiae vocibus efflagitatum omnino non publicaretur, etiam Fagnano, quamvis compilatorum fere coaetaneo [2], asserenti ut credam, non facile adducor. Quid enim! Nonne licuit Clementi VIII., si magis expedire videbatur, constitutionem Pianam omne genus commentariorum vel glossarum ad Concilium Tridentinum prohibentem quoad decreta in volumen recepta e medio tollere? Quodsi minus aptum censeret, nonne iuris periti eadem ipsa Piana constitutione prohibebantur, quominus ad decreta concilii commentarios facerent, sive in canonum codice redacta, sive in editione aliqua concilii Tridentini separata legebantur? Non solum constitutiones canonesque in corpus iuris canonici recepti, sed etiam extravagantes antiquitus commentarios et glossas suas habuerunt, ipsaque Piana constitutio prohibere non potuit, quominus ad concilii Tridentini decreta extra corpus canonum posita commentarii fierent. Quodsi summus pontifex sola Piana constitutione non satis contra abusum provisum arbitrabatur, nonne ei licitum erat, nova confirmatione constitutionis Pii IV. eandem ad decreta concilii in canonum volumine exhibita disertis verbis extendere [3]? Unde non est credibile, una difficultate a Fagnano memorata publicationem

[1] Fagnanus enim narrat, difficultates tum demum exortas esse, cum volumen typis excusum propediem esset publicandum, indeque voluminis publicationem substitisse.

[2] Fagnanus anno 1614 secretarius congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum nominatus est.

[3] Eadem de quaestione nostra recte animadvertit *Pachmann* l. c. p. 142.

omnino prohibitam esse. Nihilominus praefracte Fagnani assertionem reiicere non auderem, nisi mihi aliud documentum, quo sententia contraria confirmatur, praesto esset. Etenim, quod nemo iuris peritorum adhuc observavit, quaestio de publicanda nostra canonum collectione tempore Clementis VIII. minime absoluta fuit. Sub Paulo V., qui ab anno MDCV. ad annum MDCXXI. ecclesiam universam administravit, denuo de ordinanda et publicanda hac compilatione, et pontificia quidem auctoritate, actum esse satis constat. Ex documentis autem hac de re exstantibus apparet, constitutionem Pianam non iam tantum difficultatis praebuisse, ut a publicatione abstinendum esse censeretur. In eo enim exemplari decretalium Clementis VIII. anno MDXCVIII. impresso, quod in bibliotheca Casanatensi asservatur, leguntur notulae in margine manu viri docti alicuius scriptae, qui congregationi interfuit sine dubio a summo pontifice constitutae. Quo magis lectori pateat, anno MDCVII. et MDCVIII. iterum de ordinando et publicando Clementis VIII. decretalium volumine Romae actum esse, paucas saltem ex illis notulis afferre iuvabit. Statim in principio libri primi ad caput 11 de summa Trinitate (I, 1) [quod ex concilio Tridentino descriptum est] leguntur verba haec: *Debet poni in titulo de iure iurando, ut censuit congregatio die 8. Februarii 1608.* Ad caput 6 de aetate et qualitate (I, 9) ita notatur: *Die Sabbathi, 23. Januarii 1608, et fuit visa cap. 6 bulla Pii V., circa quam multa fuerunt dicta, et tandem fuit accommodata ut ponatur.* Item ad cap. 11 de celebratione missarum (III, 23) leguntur duae notae manu scriptae quae ita sonant: *Sub hac rubrica poni debet pars concilii Florentini, scilicet §. Item in azymo, de quo supra ad cap. 2 de summa Trinitate et fide Catholica, congregatio censuit die 2. Decembris 1607.* Et deinceps: *sub l. c. de celebratione missarum debet poni pars decreti concilii Tridentini Sess. XXV. in principio, §. curent autem episcopi, de quo supra in cap. 10, de summa Trinitate, ut censuit congregatio die 8. Febr. 1608* [1].

Ex notulis memoratis aliisque, quas afferre longum est, iam duo tenenda sunt; primum quidem sub Paulo V. summo pontifice annis MDCVII. et MDCVIII. alteram decretalium voluminis visionem

[1] Multae eiusmodi notae in exemplari Casanatensi leguntur, de immutando capitum textu, de transferendis singulis capitibus ad alios titulos.

institutam esse; secundum, in hac nova visione concilii Tridentini decreta nequaquam remota, sed omnia, prout in exemplaribus anno MDXCVIII. impressis exstant, recepta mansisse. Hinc iam licet intelligere, patres congregationis non tanti difficultatem istam aestimasse, ut ab incepto opere desisterent. Sed ex altero documento patet, quod eadem congregatio omnes difficultates, quae ex receptione decretorum concilii Tridentini oriri videbantur, e medio tolli existimarit Piana constitutione in ipsum decretalium volumen inserenda. Verba autem notae ad cap. 3 de constitut. (I, 2) manu scripta ita sonant: *Huic bullae [Pii IV.] debet addi illa pars, in qua prohibentur commentaria concilii et reservatur papae declaratio difficultatum, ut censuit congregatio die 8. Februarii 1608.* Quod quidem obvium remedium Clementem VIII. effugisse vix credi potest [1].

Sed si quaeras, quomodo tandem factum sit, ut neque a Clemente VIII. pontifice maximo, neque a Paulo V. approbatio pontificia tanto studio a Pinello rogata daretur, duas potissimum causas huiusce rei exstare mihi persuasum est, alteram in ipso libro, alteram in rerum conditione extrinsecus volumini adversantium positam. Ex eo, quod sub Paulo V. altera visio instituta est, intelligere licet, compilationem sub Clemente VIII. absolutam exspectationi iureconsultorum omni ex parte non satisfecisse. Inter recentiores scriptores fuerunt, qui librum decretalium nostrum infaustum dixerint [2], alii, qui in eo multos defectus repererint [3]. Neque nos eum omni numero absolutum dixerimus; sed, ut nostrum iudicium aperiamus, compilatores in eo potissimum peccasse videntur, quod innumeros canones, nihil omnino ad disciplinam, sed unice ad fidem vel dogmata spectantes, in volumen receperunt; ex altera vero parte pontificiorum decretorum, responsorum, rescriptorum vel declarationum a sacris Romanis congregationibus sedis apostolicae auctoritate factarum, quamvis generalium legum vim obtinentium, rationem omnino nullam habuerunt. Ex notis Pinellianis satis apparet, normam legemque in recipiendis vel reiiciendis conciliorum decretis

---

[1] Equidem dóleo, quod praeter supradictas notas alia documenta ad studium actaque huius congregationis pertinentia invenire non contigit. Nec ipsi optimo Theinero in tabulario secretiori Vaticano quidquam eiusmodi eruere datum fuit.

[2] *Rosshirt* l. c. p. 369. *Pachmann* l. c. p. 141.

[3] *Droste-Hülshoff* l. c. p. 96 not. 173, et ibi citatus *Gibert* corp. iur. canon. T. I. proleg. parte I. tit. XXIV. c. 8; *Pertsch*, Historie des canonischen Rechts p. 317, 318.

et constitutionibus pontificiis hanc fuisse, utrum ad disciplinam aut fidem spectarent, nec ne? Saepius enim in istis notis leguntur verba haec: *Fuit resolutum ut deleatur, cum non contineat aliquam materiam neque dogmaticam neque doctrinalem.* Laudanda sane est optimi Pinelli mens, qua conciliorum et constitutionum apostolicarum decreta, etiamsi de fide tantummodo agerent, recipienda esse censuit; hac enim ratione religionis Catholicae veritates latius atque efficacius divulgatum iri et ecclesiae non parvum incrementum accessurum confidebat. Sed nullo modo consilium istud approbandum est. In canonum enim collectionibus non dogmata, sed iura desiderantur. Verum quidem est, in antiquis compilationibus dogmata inveniri, sed paucissima, ut Pinellus ipse fatetur, eaque nunquam ex professo, ut dicunt, recepta sunt, id quod naturae talium collectionum omnino repugnaret. Nescio, an fructuum vel mediocris pars, quos Pinellus ex receptis de fide decretis pro religione Catholica sperabat, eventura fuerit [1]. Unde facile fieri potuit, ut Clemens VIII. vel Paulus V., summi pontifices, iuris peritissimi, modum a prioribus canonum collectionibus omnino absonum, de quo eligendo vel reiiciendo ipsa congregatio tamdiu dubia haesit, improbaret, indeque ab approbatione voluminis abstineret.

Quod ad causam extraneam pertinet, fieri non potuit, quin summus pontifex canonum collectionem orbi Christiano publicaturus eam sibi proponeret quaestionem gravissimam, utrum ubique reciperetur, annon potius, consideratis rerum et temporum conditionibus, valde esset timendum, ne eiusdem publicatio et executio a terrarum principibus prohiberetur. Satis notum est, in Gallia concilii Tridentini plurima de disciplina decreta a gubernio et magistratibus saecularibus admissa non fuisse [2]; in aliis regnis, quamvis principes publicationem admitterent, immo iuberent, id tamen ita factum esse, ut non pauca decreta omnino prohiberentur, quae regalia, ut dicunt, imminuere vel eradicare viderentur. Ita in utriusque Siciliae regnis multa decreta prohibita et in usum deducta non fuerunt [3]. Porro

---

[1] Videas argumenta diversa, quae Pinellus in tractatu volumini praemisso pro receptione materiarum mere ad fidem pertinentium attulit.

[2] Conf. *Phillips*, Kirchenrecht IV. §. 197 p. 475.

[3] Conferas librum de *Monarchia Sicula*, a me anno praeterito editum pag. 117, et quod ad regnum Neapolitanum attinet, gravamina praesentata Regi Philippo II. a cardinali Alexandrino, Cod. Vallicellian. N. 2, pag XIX; Cod. Corsin. XCVII, fol. 52--85.

si quis rationem, quae initio saeculi septimi decimi inter curiam Romanam et saeculares principes intercedebat, attentius inspexerit, optime sciet, quae ad immunitatem personalem, realem, localem, iurisdictionem ecclesiasticam pertinerent, a magistratibus impugnata eorumque usum etiam vi prohibitum fuisse. Notissima sunt Pauli V. cum republica Venetorum acerbissima pro tuenda immunitate ecclesiastica mita certamina. In ipsis regis Catholici regnis iam eo perventum erat, uti Clemens VIII. in literis a. MDXCVI. ad Philippum II. regem datis scribit [1], ut ministri regii non solum iurisdictionem ecclesiasticam supprimerent, sed ad eam omnino evellendam consilia miisse viderentur. In omnibus regnis placetum regium vel Exequatur, ut aiunt, generatim in omnes literas apostolicas vel brevia quaecunque, etiam ex S. Poenitentiaria provenientia, summo rigore dhibebatur, ita ut semper executio prohiberetur, quoties praeiudium aliquod in regalia vel praeeminentias principum illis contineri ideretur. Eo iam processum erat, ut, quum Urbanus VIII. breiarium Romanum a se recognitum in lucem ederet, gubernium Hispanicum eius admissionem et usum in regno interdicere serio inderet eam solam ob causam, ne clerus novis expensis gravaretur [2]. am vero non solum multa concilii Tridentini decreta, sed plurimae constitutiones apostolicae in volumine nostro continentur, quae in terris rincipum saecularium nunquam receptae, immo proscriptae fuerant. Renovabantur magna ex parte sanctiones poenales, bulla, quae iipit, *In coena Domini*, contentae, quam magistratus saeculares mnibus viribus prohibebant. Hinc Clemens VIII. eiusque succesores vix bonum publicationis eventum sperabant, immo difficultates t obstacula gravissima ubique certissime eventura timebant. Ac raeter alia hi certe bene fundati timores summum pontificem mihi ommovisse videntur, ut a libri publicatione desisteret. Equidem perasum mihi habeo, etiamsi Romae publicatio facta fuisset, pro torum temporum ratione sine acerbissimis cum magistratibus saecu-

[1] Copia di una lettera scritta di mano propria di Papa Clemente VIII. a Filippo II. di Spagna d. 15. Octob. 1596; in Cod. manuscr. SS. XLII, 54 in bibliotheca Barberina. Perlegi in ista bibliotheca et in chartis excerptas habeo omnes fere relationes et literas, quae per longum Urbani VIII. pontificatum a nunciis apostolicis Matriti et Neapoli constitutis ad Romanam curiam directae fuerunt, quaeque in triginta fere codicibus manuscriptis ibidem asservantur; singulae fere paginae de oppressa in istis regnis iurisdictione ecclesiastica queruntur.

[2] Lettera del Nunzio al Cardinale Barberini d. 25. Luglio 1631.

laribus controversiis et contentionibus in singulis regnis et territoriis eam nec processisse nec omnes decretales observatas fuisse.

V.

Iam videndum est, quam rationem congregatio in recipiendis ordinandisque decretis secuta sit. Quod ad conciliorum sanctiones attinet, ab ipso Pinello edocemur, ex Constantiensi synodo nullas esse desumptas, quia in hoc tota fere esset, ut sedato schismate damnarentur haereses; Basiliensis autem nullam fuisse habitam rationem, ne sedis apostolicae auctoritate ullum ipsius decretum confirmari videretur. Ex concilio Florentino nonnulla, ex Lateranensi sub Julio II. inchoato et sub Leone X. perfecto multae suis quaeque titulis fuerunt accommodatae sanctiones; Tridentini vero omnia fere decreta et canones in volumen recepta fuerunt [1]. Magna vero, immo maxima voluminis pars ex constitutionibus antiquioribus et recentioribus summorum pontificum conflata est, ita quidem, ut nonnullae, quae iam Bonifacii VIII. literis apostolicis incipientibus *‚Sacrosanctae Romanae ecclesiae* [2], vim omnem amiserant, ad pristinam auctoritatem revocari viderentur. Antiquissima enim decretalis voluminis nostri ex constitutione Gregorii IX., quae incipit *‚Rex excelsus,* die XII. Jan. a. MCCXXXIV. edita desumpta est [3], Innocentii IV. (qui ecclesiam rexit ab anno 1243 usque ad annum 1254) in eo leguntur decretales duae [4], Alexandri IV. (1254—1261) septem, Urbani IV. (1261—1264) recepta est decretalis una; sequuntur Joannis XXII. (1316—1334) constitutiones duae, Benedicti XII. (1334—1342) una, Clementis VI. (1342—1352) duae, Gregorii XI. (1370—1378) duae. Magna decretalium pars ex constitutionibus Leonis X. sumpta est; numerantur enim triginta septem. Maxima pars decretorum, quinquaginta videlicet, ex constitutionibus Pii V. descripta est. Non pauca numero nomen Gregorii XIII. inscriptum exhibent, ultimae denique literae decretales ex constitutionibus Clementis VIII. descriptae in volumine leguntur.

In his recipiendis ita quidem decretalium extravagantium ratio

---

[1] Confer dissertationem primam cardinalis Pinelli volumini decretalium praemissam.

[2] Vide literas in capite libri sexti decretalium Bonifacii VIII.

[3] Vide infra cap. 1. de rebus eccl. alien. III, 9.

[4] Vide infra cap. 1. de election. I, 4; cap. 5. de iudaeis V, 4.

habita est, ut nullae ex iis, quae Joannis XXII. et communes dicuntur, in nostro volumine positae legantur. Unde tam eorum opinio reprobanda est, qui duas illas extravagantium compilationes in volumen receptas esse scripserunt [1], quam aliorum qui nonnisi constitutiones post Sixtum IV. editas decretalibus voluminis comprehendi dixerunt [2]. Ceterum conciliorum sanctiones ac bullae pontificiae pro materia in iis contenta suo quaeque titulo et loco dispositae fuerunt. Sed non omnes bullae de materia eadem tractantes promiscue sub suo titulo positae sunt. Ex iis enim, quas sanctionum similitudo pares efficiebat, potioribus selectis reliquae, ne nimium opus excresceret, reiectae sunt. Si vero duae vel plures de eadem re constitutiones contrariae vel diversae ab uno vel a diversis pontificibus datae reperiebantur, ea, aliis reiectis, recepta est, quae usu forensi magis vigebat. Qua de re congregatio, ut certior fieret, decisiones Rotae Romanae consuluit [3], et saepius in singulis casibus ad ipsum summum pontificem recursum habuit [4]. Antiquatae simili modo bullae vel non ubique servari tunc assuetae, repetitae, aut, ut Pinellus ait, neque dogmaticam neque doctrinalem ullam suppeditantes materiam, penitus sublatae sunt. Eas, quae rerum copia, magnitudine vel prolixitate nimia redundarent aut exuberantibus verbis, Pinellus decurtavit, aut scite studioseque in compendium redegit. Defectum vero earum rerum, quae ad opus perficiendum omnino necessariae, opportunae vel utiles censebantur, aut adscitis aliunde cohaerentibus bullis et canonibus, aut ex propria sententia in unaquaque constitutione, prout sese offerebat occasio, absolutissime supplevit, in his, ut ait cardinalis Pinellus, Triboniani, Raymundi atque etiam Bonifacii VIII. exempla secutus. Poenas, quae passim

---

[1] *Pachmann* l. c. p. 141 non solum duas extravagantium, sed etiam Clementinarum compilationes receptas fuisse censet. *Fr. Schulte*, die Lehre von den Quellen des kath. Kirchenrechts §. 74 p. 352 et Lehrbuch des kath. Kirchenrechts (2a edit. Giessen 1868) §. 11 pag. 32. non quidem duas extravagantium collectiones in volumine nostro contineri asserit, sed eas in novo volumine comprehendere Gregorio XIII., Sixto V. et Clementi VIII. in animo fuisse scribit.

[2] *Joann. Devotus*, Institut. l. c. *Droste-Hülshoff* l. c. p. 96.

[3] Ad cap. 1. de testamentis et ult. volunt. III, 13 Pinellus annotavit haec: *Quod videantur ea, quae in Rota circa hanc materiam fuere resoluta.*

[4] Ad constitutionem Sixti V. contra Henricum Borbonium regem (in cap. 27. de haereticis V, 5) manu Pinelli haec annotata sunt: *Fiat verbum cum Sanctissimo, et in casum, in quem ponatur iste textus, ponatur unica pars tantum;* et alio loco: *Fiat verbum cum Sanctissimo de hac et de illa [bulla] Pii V., an sint abolendae.*

adversus sontes in bullis statuuntur, nonnunquam expunxit mitioresque suffecit; sententias atque enunciationes, quae secundum grammaticae leges minus recte conformatae videbantur, stili elegantiae magis accommodavit, ac iurista, qui erat peritissimus, tenore ut ita dicam, iuridico circumvestivit. In concilii vero Florentini et Tridentini sanctionibus nihil omnino immutatum est. In bullis selegendis compilatores bullario sive collectione constitutionum usi sunt, quam Laertius Cherubinus de Nursia, Ictus anno MDLXXXVI. Romae edidit. Bullas Sixti V. ex alio bullario sive collectione constitutionum Sixti V. ab eodem Laertio Cherubino facta atque in duabus partibus anno MDLXXXVIII. et MDXC. Romae edita desumpserunt, ut mihi ex collationibus institutis satis constat. Sed in his ita quidem actum est, ut etiam documenta originalia, quae tunc in tabulariis castelli Sancti Angeli asservabantur, adhiberentur. Quare factum est, ut nonnullae decretales, quae in bullariis omnino desiderantur, ex documentis originalibus descriptae sint. Ex eo autem, quod generatim ad originalia recursum est, nonnunquam licuit iureconsultis, textum constitutionum in bullariis editum emendare et ad veram fidem revocare [1].

VI.

Quae denique meae partes in hoc volumine edendo fuerint, paucis exponam. Imprimis illud gravissimum mihi resolvendum erat dubium, utrum textum, qualis in exemplari anni MDXCVIII. legitur, integrum et illibatum redderem, an potius uniuscuiusque decretalis materiam generatim et pressim summariis adiectis tantummodo exhibendo speciem totius operis lectori proponerem. Diu anceps haesi, sed tandem rationi et fini satis convenire existimavi, si a constitutionibus et conciliorum decretis plene et integre recipiendis abstinerem; tum quia integri textus receptione opus nostrum nimis amplum evasisset indeque pretium excrevisset, tum quia magna decretalium pars, me quidem iudice, ad ius omnino non pertinet aut ius vigens non iam continet, atque id quod mihi propositum est, ut librum ipsum lectoris conspectui exhiberem, iam effici videbam alio illo modo, si librum ipsum in compendium redactum propo-

[1] Benedictus XIV., de Synodo dioeces. Lib. XIII. Cap. XXIV. n. 2.

merem. Etenim eas sanctiones, quae non nisi dogmata continent, exscribere certe supervacaneum est. Canones et decreta concilii Tridentini, ut exempla afferam, quae de peccato originali, de iustificatione, de sacramentis in genere, de purgatorio agunt, directe, ut aiunt, nihil iuris habent. Eiusdem autem concilii de disciplina decreta iam omnibus in innumeris ipsius editionibus ita praesto sunt, ut satisfecisse mihi videar, si ea, prout in singulis libri septimi capitibus exstant, in notis adiectis et summariis accurate indicarim. Plures etiam in decretalium volumine leguntur bullae pontificiae, quae nullam, aut certe remotissimam tantum iuris rationem habere noscuntur, veluti eae, quibus officii divini de Sancto aliquo persolvendi ritus praescribitur[1]. Aliae antiquiores, quibus iam antea per Gregorii IX. literas, quibus initium *„Rex pacificus,* vel per Bonifacii VIII. literas *„Sacrosanctae Romanae ecclesiae,* omnis vis auctoritasque ademta fuit, novam vitam cum recentissima Clementis VIII. collectione per cardinalem Pinellum a summo pontifice efflagitatam non receperunt. Aliae deinde non paucae constitutiones in volumine nostro reperiuntur, quae ob res temporum decursu penitus mutatas vel alias ob causas ubique fere terrarum in desuetudinem abierunt. Rebus ita constitutis iam non dubium erat, quin in ceteris etiam constitutionibus summariorum forma, omisso integro textu, praeferenda esset, quum praesertim aequalitas quaedam formalis respectu recentiorum constitutionum id admodum commendare videretur. Neque tamen hac ratione libro edendo quidquam detractum esse censeo, quum summario modo, quid in singulis decretalibus definiatur descriptum sit, atque locos ipsos, ubi textus verba plene leguntur, sive in concilii Tridentini editione sive in bullariis, accurate indicatos exhibeamus, ita ut lector haud difficulter textum integrum cognoscere atque ita libri septimi methodum indolemque perspicere queat. Decretales enim ex concilio Tridentino desumptae numero capitum et sessionum ipsius concilii notatae sunt. In ipso nostro decretalium volumine non nisi generatim verba *„Ex generali concilio Tridentino,* inscripta leguntur. Ad canones vero e constitutionibus apostolicis desumptos quod attinet, semper verba, quibus unaquaeque bulla incipit, diem et annum editionis, paragraphos ipsius bullae, quas compilationis textus receptas exhibet,

[1] Conf. Cap. 2, 3, 4 de reliquiis et veneratione sanctorum III, 25.

adiecta sunt. In ipso enim libro septimo nihil nisi inscriptio nominis Papae, qui decretalis auctor fuit, legitur. Summaria singulorum capitum, qualia in ceteris iuris collectionibus exstant, in volumine nostro omnino desiderantur. In his concipiendis ita versatus sum, ut ea summaria, quae in conciliorum decretis et apostolicis constitutionibus leguntur, quantum fieri poterat, ante oculos haberem atque iuris materiam lectori generatim et pressim exhiberem, unde cuique apertum esset, quid in singulis capitibus contineretur. Atque quo facilius constitutiones integrae in bullariis inveniantur, numerum singularum constitutionum, qui in magno bullario Romano editionis Luxemburgensis legitur, necnon paginas uniuscuiusque tomi eiusdem bullarii accurate indicanda curavi. His ducibus haud difficulter etiam in alia aliqua bullarii Romani editione constitutiones laudatae invenientur. Quum autem compilatores in volumine congerendo antiquam illam constitutionum editionem, quam Laertius Cherubinus anno MDLXXXVI. publici iuris fecit, adhibuerint, numerum singulis bullis in hac editione appositum indicavi, siquidem constitutio in aliis bullariis non legitur. Semper in notis adiectis immutationes, quas nonnullae constitutiones, quum pro decretalium volumine redigerentur, passae sunt, disertis verbis descripsi, ita ut non tacerem, si forte sensus, quem ipsius bullae textus praebet, nova forma mutatus evasisset, quod quidem raro factum fuisse mihi constat. Ita lectori satis patebit, utrum ius genuinum et vigens in volumine exhibeatur necne.

Non parvus labor in eo fuit, ut constitutiones et decreta pontificia, quae exinde ab anno MDXCIV. usque ad nostra fere tempora prodierunt, atque universam et generalem rationem habent, sub suis quaeque titulis summarii modo adnotarem; qua in operis parte adornanda bullarium, quod Luxemburgi prodiit, Benedicti XIV. bullarium Venetiis anno MDCCLXXVIII. quatuor tomis editum atque bullarii magni continuationem, quae ab anno MDCCCXXXV. Romae instituta est, adhibui. Recentissimas constitutiones, decreta vel declarationes pontificias, quae in omnibus bullarum editionibus desiderantur et in rarioribus tantum operibus leguntur, ex aliis fontibus fide dignis deprompsi. Huc pertinet opus cui titulus: *„Pii IX. pontificis maximi acta“* in typographia bonarum artium impressum, compluria volumina complectens. Multa sumpsi ex libro, quem Eminentissimus cardinalis Bizzarri, quum munere congregationis super

statu regularium a secretis fungeretur, anno 1862 in typographia rev. Camerae apostolicae imprimi curavit, cui titulus: *Acta congregationis super statu regularium ab A. archiepiscopo Philippensi collecta;* nec minus ex *archivio iuris ecclesiastici catholicorum,* quod sociis plurimis Germaniae canonistis adhibitis ab Ernesto de Moy de Sons et Friderico Vering, iuris canonici professoribus, primum Oenoponti, deinde Moguntiae editum iam XXII. volumina complectitur. —

Quicunque cognoverit, quantum a decretalium Clementis VIII. compilatoribus deliberatum sit, quantum insudatum, ut singulas quasque constitutiones apostolicas seligerent, selectasque necnon conciliorum sanctiones sub competentibus titulis et capitibus insererent, facile agnoscet, si id, quod nobis in hac parte proposuimus, ut recentiores summorum pontificum constitutiones, decreta rescriptaque seligeremus et ad suos quaeque titulos et capita evocaremus, omni ex parte non feliciter successerit.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

D. CLEMENTIS PAPAE VIII.

DECRETALES.

ROMAE

Ex Typographia Camerae Apostolicae

M. D. XCVIII.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI PAPAE VIII.

DOMINICUS S. R. E. CARD. PINELLUS.

Tuos ante pedes, Pater Beatissime, tandem aliquando prodit postrema canonum collectio, quae pontificia iura et conciliorum decreta annorum prope trecentorum compendiaria quadam summa complectitur. Opus necessarium, efflagitatum omnium praesulum et gymnasiorum, totius ecclesiae vocibus; sed quia aeque arduum et implicatum, idcirco diu multorum ingeniis, vigiliis atque sudoribus fuit elaborandum. Gregorius XIII. immortalis memoriae, insignis pietatis, litteraturae atque experientiae pastor, hanc provinciam commisit primus Flavio Ursino, Francisco Alciato et Antonio Carafae, sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus doctissimis; multa ipse manu sua exaravit, elucubravit, monuit; sed qui Deus tibi (Clemens Octave) confecti negotii palmam reservaverat, inchoati praemium illi statim e vivis erepto persolvit. Successor sedi atque virtutibus, Sixtus V., pontifex multis nominibus felicissimus, eam curam mihi statim imposuit pervigilio principum apostolorum anno MDLXXXVII. ita impense, ita vehementer, ut excusare, vel magnitudine muneris, vel caeteras meas occupationes, et alia quaedam impedimenta nulla ratione licuerit; concessit vero perlibenter quos nominatim exposcebam adiutores, collegas ac duces, te, Pater Beatissime, eo tempore cardinalem Aldobrandinum, et cardinalem Matteium, fecitque potestatem alios quoscunque evocandi literis, usu, ingenio praestantissimos tum episcopos, tum sacri palatii auditores, aliosque praelatos et iureconsultos. Horum auxilio addito, praesertim Ascanio cardinali Columna atque aliis, quorum excellentiam optime nosti, mihi onus ex parte levatum visum fuit, congregatio non modo promota, sed cohonestata maximeque nobilitata fuit. Et plane sit ignoscendum, cum mihi nimis mea illa electio placet; qualis enim tu primus fueris, cito eius augustissimi collegii testimonium, cuius iudicio factus es inter mortales Christi Dei vicarius; quales fuerint alii, te unum tam locupletem testem omnium instar appello, qui tres ex iis, Lucium Saxum, Laurentium Blanchettum, Pompeium Arrigonium evexisti ad summum cardinalatus honorem. Extremo anno MDXCIII. factus est ea undequaque seligendi et recognoscendi, quae inserenda in canonum corpus essent. Reliqua erat gravis etiam cura, ut disponerentur

et evocarentur singula ad suos titulos et capita, ut decreta pressim atque strictim proponerentur, ut circumvestirentur suo quodam stilo et colore iuris. Id mihi incumbebat, et sum conatus omni corporis animique contentione pro viribus; ita enim omnia constituta esse videbam, ut si quid interim mihi contigisset humanitus, qui unus semper negotio praefueram, qui tractaveram et cognoscebam unus rudem illam et prope infinitam multitudinem scriptorum atque notarum, periisset omnino opus ita utile, elucubratum, expectatum; periisset omnino diuturnus labor, non modo meus, qui propria manu plurima adnotaveram atque perscripseram, sed eorum virorum, quos supra amplitudinis gratia nominavi, et tuus in primis, Clemens optime maxime, qui operi tunc incubuisti, et nunc sis tua auctoritate omnia animaturus, eo ampliorem illis quodammodo spiritum tribues, quo non modo approbator docente relatore, sed operis effector atque parens fuisse cognosceris. Nunquam tamen imponere manum extremam potui, et propter molem operis, et propter multiplices meas occupationes, congregationem praecipue sancti officii et alias, quae nullam partem temporis vacuam relinquebant huic muneri, cui vix uni tempus universum satisfacere potuisset. Sed tandem (quod mirum accidit) hoc ipsum otii, quod sum nactus ad perficiendum debeo iisdem impedimentis, quibus antea retardabar, hoc est eidem congregationi sanctae Inquisitionis propter quam iussisti, ut remanerem in Urbe, dum tu pergis Ferrariam, ut imperium virtute amplificatum praesentia tua confirmes, vel debeo potius isti ipsi victoriae, qua, dum profers ditionis Romanae terminos, nominis tui memoriam interminatam reddis et infinitam, ac declaras te ad pontificatum attulisse, non tantum doctrinam insignem confirmatam diuturno usu atque tractatione rerum, sed fortitudinem, magnitudinem animi caeterasque virtutes isto duplici principatu dignissimas. Ego tibi nunc offero volumen decretalium, ut accipiat a tuo iudicio utilis operis opinionem, a Romano pontifice auctoritatem, a Clemente VIII. gloriam quandam praecipuam. Vivet, si iusseris, et meae erga te observantiae perpetuum erit posteritati monumentum. Vale. Romae kal. Augusti MDXCVIII.

DOMINICUS S. R. E. CARD. PINELLUS.

Varia licet videretur opinio, an in hac recenti decretalium compilatione inseri deberent oecumenicorum conciliorum Florentini ac Tridentini non modo canones, qui ad mores morumque reformationem spectant, sed illi etiam, qui fidei dogmata respiciunt, in hanc tamen itum est sententiam, ut inserantur.

Etenim constitutum quidem erat nobis veterum summorum pontificum Gregorii Noni, Bonifacii Octavi, Clementis Quinti laudatissimum exemplum sequi, qui in decretis colligendis illud potissimum spectaverunt, ut scholasticis et ius dicentibus necessaria atque ad mores illis temporibus corrigendos (id enim Bonifacius in prooemio libri sexti testatur luculenter)

quam maxime opportuna deligerent et pertractarent. Intelligebamus etiam hinc factum esse, ut non modo in istorum pontificum decretis, verum etiam in veteribus decretorum compilatoribus, Isidoro, Brocardo, Anselmo, Gratiano, Photio, caeterisque aliis perpauca reperiuntur, quae ad dogmata pertinerent (verissime enim dici potest istorum volumina, etsi maxima, paucissimis dogmatibus esse respersa), ac proinde perspiciebamus, etiam satius visum esse maioribus nostris ea dogmata theologis relinquere, quorum propria est haec tractatio, quam ad iuris pontificii praecepta traducere et revocare.

Quin et videbamus illud incommodi habere posse dogmatum tractationem, quod nimirum adolescentes ad pontificii iuris studia accedentes, quippe rudes adhuc et imperiti, in difficillimas de iustificatione, praedestinatione, libero arbitrio et alias id genus materias, quae viros etiam aetate, ingenio et doctrina praestantes saepe retardant, facile impingere possent, ita ut his quasi salebris impediti haud satis habeant, quo se vertant, vel certe deterriti ab incoepto cursu revocentur.

Denique illud etiam, nec sine intimo doloris sensu cogitabamus, nonnullas Christiani orbis nationes extitisse, quae, ut haeresum labe pollutae sunt, sacrosancto Tridentino concilio interesse recusarint, vel si minus recusarint, eiusdem concilii executionem nondum admiserint, vel (quod magis dolendum est) in illius invidiam libros turpissimos conscripserint, ac proinde verendum, ne apud illas nova haec sacrorum canonum editio, quippe illis infesta, auctoritate careat vel certe longe minorem habeat, quam si praecepta contineret ad morum reformationem tantummodo pertinentia.

Vicit tamen alia eademque multiplex ratio. Nam cum Tridentinum hoc concilium tanta fuerit episcoporum frequentia, tanta patrum auctoritate, tanta rerum omnium investigatione et deliberatione concelebratum, atque ab eo tempore nihil magis ab omnibus summis pontificibus optatum, quam ut omnia eius decreta, et praesertim quae de religione nostra sunt, ubique gentium divulgarentur, praedicarentur atque in usum reciperentur, et ob hanc unam potissimum causam iampridem curatum fuerit, ut idem concilium in graecam, arabicam, chaldaeam, aliasque exteras linguas verteretur; nulla alia quidem ratione id hodie efficacius perfici posse credendum est, ut omnibus innotescat, quam si iussu et auctoritate summi ipsius pontificis, una cum hac decretalium editione totum insereretur concilium omnibusque praeciperetur, ut quaecunque in hoc librorum volumine contenta sunt, ab universis reciperentur et observarentur.

Quare de facili evenire poterit, ut idem concilium non modo in omnes illico penetret academias, in omnia gymnasia et apud omnes viros doctos cuiuscunque sint professionis, sed publicam etiam et indubitatam acquirat auctoritatem, quod alias secus contigit, cum de veritate, et numero decretorum in variis conciliis insertorum non mediocriter fuerit haesitatum, ut apud Antonium Augustinum videre est [1].

---

[1] Lib. V. de auctorit. Conc. tit. XIII.

Hos autem veros esse et authenticos concilii Tridentini canones nemo ambiget, nec alios ab his diversos, nec plures aut pauciores quam hosmetipsos inveniri, qui nunc sanctae sedis apostolicae, quae errare nequaquam potest, roborantur testimonio.

At vero si una aut altera tantum eiusdem concilii pars apponeretur, absurda utique sequerentur aliqua; facile enim quibusdam videri posset partem tantum impressam probari, non item aliam, vel saltem esse minoris aestimationis. Cumque iidem canones tanta sint prudentia et tantorum patrum auctoritate concinnati, cavendum est quoad eius fieri potest, ne quavis temporum iniuria depereant, et longe melius perpetuari poterunt, si in diversis codicibus impressi reperiantur: facilius siquidem codex ipsius concilii longa temporum serie deperdi potest, quam totum decretalium corpus.

Quibus et illud accedit, quod cum haeresis Calvinistarum, omnium quotquot fuere pessima, in dies magis grassetur et invalescat, Christianae reipublicae expedit maxime, ut ipsa concilii dogmata, quibus ea haeresis mirifice impugnatur, ubique locorum omni studio et diligentia disseminentur et publicentur.

Neque nobis quaestionem facit, quod pauca in aliis decretalium compilationibus adjecta legantur: nam licet non multa sint, aliqua tamen sunt, ut in ipso Gregorii Noni decretalium libro, qui non solum constitutionibus ad usum forensem spectantibus, sed pluribus etiam, quae religionis sunt, constat. Numerantur siquidem XIX. tituli in ea collatione variis in locis sparsim distributi, et in iis quamplurima capita, quae de praecipuis fidei nostrae dogmatibus tractant, ut habetur in indice, qui infra ponitur [1].

In libro quoque Bonifacii Octavi, et Clementis Quinti idem fere reperitur, prout in extravagantibus Ioannis Vigesimisecundi, et in aliis, quae vulgo communes extravagantes appellantur. Quod animadvertisse videtur Antonius Augustinus olim Rotae auditor; hic cum nuper librum ediderit,

---

[1] Quaedam inserta in variis titulis libri decretalium, quae videntur pertinere ad dogmata fidei: 1) Po. Totus titulus de sum. trinit. et fide Catholica. 2) In tit. de consuetudine in c. Quanto cum glos. ibi in verb. ex necessitate, et in verb. omittere, quae tangit alia pertinentia ad dogmata. 3) Tit. de sacra unctione. 4) Tit. de sacramentis non iterandis. 5) Tit. de majorit. et obed. 6) Tit. de feriis per tot. tit. 7) Tit. de iureiur. cap. Ego N. et cap. et si Christus. 8) Tit. de consecratione ecclesiae vel altaris. 9) Tit. de celebratione missarum et sacramento Eucharist. et divinis officiis. 10) Tit. de baptismo et eius effectu. 11) Tit. de presbytero non baptiz. c. 2. et 3. 12) Tit. de reliquiis et veneratione sanctorum in c. 1 et 2. 13) Tit. Qui filii sint legit. c. per venerabilem. 14) Tit. de observatione ieiuniorum. c. 1 et 2. 15) Tit. de divortiis. c. gaudemus. 16) Tit. de Iudaeis et Saracenis. 17) Tit. de haereticis, c. cum Christus, c. cum ex iniuncto, c. excommunicamus, et alia. 18) Tit. de apostatis et reiterantibus baptisma. 19) Tit. de sortilegiis. In libro sexti sunt multi alii tituli similes. In libro Clementinarum pariter sunt alii tituli similes. In extravag. etiam Ioannis XXII. et in extravag. communibus reperiuntur multi alii tituli huiusmodi, veluti de haereticis; de celebratione missarum; de Iudaeis; de reliquiis et veneratione sanctorum; de schismaticis.

cuius inscriptio est, *Epitome iuris pontificii*, non modo ea, quae sunt penitus profana iudiciariamque telam respiciunt et litium anfractus perimunt, verum etiam ea, quae de fide et religione sunt, ex conciliis et sanctorum patrum scriptis excepta comprehendit.

Ad id vero, quod dicebatur de fine huius operis et partibus eorum, qui iuri pontificio operam dant, nempe eos versari in dirimendis litibus et humanis actibus, non item in fidei dogmatibus, quae theologorum propria est, facilis est responsio; namque ea quae ad fidem tendunt, duplici modo possunt considerari: altero directe et principaliter, ut cum logicis loquamur, altero indirecte et secundario, prout ordinantur ad ea, quae proveniunt ex fide. Unde quatenus docentur sive exercentur opera humana eo modo, quo a rationibus externis debent dirigi, pendet haec ipsa a fide, attestante b. Thoma [1], et ius pontificium nihil aliud est, quam praxis theologica et scientia operabilium actionum. Professoribus igitur pontificii iuris non proponuntur ista dogmata, ut ea speculative vel ex professo in scholis legant, aut de illis, tanquam de suis axiomatibus disputent, quia cum ex articulis fidei deducantur, ut talia ad theologum pertinent. Iuris vero peritus debet ea scire et praesupponere tanquam certa et accepta ex prioribus theologiae principiis, cum sacrorum canonum disciplina sit theologiae subalternata et illam praesupponere debet, ut medicina praesupponit philosophiam naturalem et musica praesupponit arithmeticam, et prout aliae omnes disciplinae sibi invicem respondent et altera ab altera quoad notitiam principiorum derivatur.

Quocirca sicuti hodie iuris canonici professor, qui in gymnasiis librum decretalium legit, non interpretatur tit. de Summ. Trinit. et fide Catholica, prout obiectum est fidei, et principium a theologo acceptum, sic in hac compilatione quamvis insertam videbit materiam de praedestinatione, iustificatione et de sacramentis; non sumet tamen has materias explicandas secundum propria principia, sed relinquet theologis declarandas.

Dubium tamen non est, quin omnes has materias fidei, si non explicite, saltem implicite, notas habere debeat et bene cognitas tanquam prima et proxima sua, quam profitetur, artis principia, alioquin ei facile contingeret, ut in tractandis et erudiendis iis, quae ad praxim et humanas actiones pertinent, toto aberraret coelo. Non enim iurisperitus insudare debet in decidendis tantum litibus et controversiis secundum terminos judiciorum, sed in hoc quoque esse, ut Christiani hominis actiones, sive in litibus, sive in aliis quibuscunque negotiis in ordinem ad Deum per iuris pontificii regulas dirigantur, ita ut non discrepent a propria conscientia et a lege Dei, immo conveniant omnia cum fidei articulis et cum veris nostrae religionis principiis a sacrosancta theologia, uti a purissimo fonte, emanatis.

---

[1] 2. 2. q. 8. art. 3. in resp. et art. 6. in resp. et q. XI. art. 2. in resp. Abbas in prooem. Decret. num. 14.

Ideoque iuris certissimi est ius dicentem teneri scire fidei articulos saltem implicite [1].

Hinc videmus veteres glossatores ob horum principiorum ignorantiam variis in locis turpiter errasse, praesertim in glossis decreti Gratiani tit. de poenit. et de consecrat. In examinatione enim eiusdem decreti tempore Gregorii XIII. horum errores fuerunt detecti, quamvis nonnullos iampridem adnotaverat S. Antoninus [2], eosque idem summus pontifex, pro immensa sua pietate omnino abolere aut emendare cogitaverat, verum quoniam magna oriri videbatur confusio et perturbatio, ideo aliter persuasus intactum reliquit opus etsi doctissimis adnotationibus illustratum.

Et haec omnia ad ea, quae de tyronibus diximus, aptari possunt; nam si sibi difficillima videbuntur, illis pro tunc omissis, ad alia intellectu faciliora se conferre poterunt.

Si vero obiiciatur, quam pauca dogmata esse in ipsis decretalium, Sexti, Clementinarumque et extravagant. libris, ad quorum normam isti condendi sunt, respondebimus, in conciliis, quorum decreta fuerunt collecta, etiam pauca adfuisse dogmata, in Tridentino vero quamplurima, ita temporum nostrorum calamitate ferente, et ob hanc unam potissimum causam idem fuit indictum concilium et celebratum.

Quare fatendum est in hac recenti decretalium editione necessariam esse dogmatum insertionem: longe enim maiorem acquiret auctoritatem volumen hoc, si ipsa continebit dogmata, quam si seorsum quasi neglecta et ignota iacerent. Nam contingere forsan poterit, ut qui dogmatibus infesti sunt, vel ea fortasse nunquam viderunt, hac occasione legendi librum hunc decretalium, et tam praeclara multa inspiciendi, quae in eo continentur, et insimul considerantes post tot annos haec, quae ad fidem spectant, fuisse a Catholica Rom. ecclesia summa maturitate deliberata, et nunc maximo studio et delectorum virorum impressa, ac suis propriis distributa titulis, atque in omnium conspectu posita, libentius forte, Deo iuvante, inducantur non modo ad illa percurrenda et legenda, sed etiam degustanda et omnino amplectenda.

Quod pro sua immensa bonitate et misericordia faxit Deus Omnipotens, cui laus, honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

DOMINICUS S. R. E. CARD. PINELLUS.

Ea est humanarum actionum varietas et multitudo, ut varium semper ac multiplex iurisprudentiae suppeditet argumentum. Atque hinc sane in nostro pontificio iure (ut de caesareo sileam) ingens illa existit decretorum veluti silva, atque constitutionum moles. Dum enim pro rerum incidentium usu ac temporum opportunitate, ad de etiam pro morum ac

---

[1] Can. omnes 38. dist. S. Thom. 2. 2. q. 2. art. 8.

[2] In 4. par. tit. XI. c. 8. pag. 188, incipit, notandum est.

negotiorum varietate, alia decreta sanciuntur, emendantur alia, multa etiam aut explentur aut declarantur, quaedam etiam abrogantur interdum atque tolluntur, haud sane fieri potuit, quin huiusmodi decretorum moles mirifice excresceret, sive dissimilitudo aut varietas appareret. Verum, etsi id totum rerum ac temporum varietati, quin hominum etiam ac morum inconstantiae, sed negotiorum imprimis novitati, ipsi denique necessitati sit tribuendum, nemo tamen, qui recte sentiat, illud unquam inficiabitur, nimirum maiores nostros in hac constitutionum seu multitudine seu varietate nihil aliud spectasse unquam, quam solidam mortalium utilitatem, eoque semper cogitationem intendisse, ut Christiana respublica recte gubernetur fidelesque ipsi ad salutis portum dirigantur. Hinc sane constat Christi apostolos ac sacerdotes iam ab nascentis ecclesiae initiis multa de ritibus ecclesiae deque huiusmodi aliis, quae ad Dei cultum retinendum augendumque necessaria aut opportuna viderentur constituisse. Hinc etiam ab eorundem apostolorum successoribus, tam graecis, quam latinis, Spiritu sancto auctore ac duce multa sunt inita concilia, multa sancita decreta aliaque varia scriptorum monumenta prodita ad fundamenta Christianae religionis nostrique iuris perquam necessaria.

Et ut missos sacrorum canonum auctores faciamus et ad collectores deveniamus, illud memoria repetendum est, duo fuisse apud graecos collationum genera, a quibusdam antiquissimis episcopis concinnata, quibus suas addiderunt interpretationes non modo Alexius Aristenus, Ioannes Zonaras et Theodorus Balsamon, verum etiam Ioannes Scholasticus et Photius, ambo Constantinopolitani antistites, et Matthaeus Basteres [!], monachus, Constantinusque Harmenopolus atque Arsenius.

Apud Latinos vero haud valde dissimiles superioribus Graecis fuerunt Martinus Braccarensis, Dionysius Exiguus atque Cresconius; mox secutae sunt pleniores decretorum collectiones Bruchardi [!] Vormacensis, Deusdedit presbyteri cardinalis, Anselmi Lucensis et Ivonis Carnotensis, cui titulus est Panonia [sic] et decretum.

Sed altitudo aedificiorum, quae a Gratiano altius extructa sunt, illorum omnium luminibus officit; addidit [1] siquidem multas distinctiones et quaestiones ex variis canonibus sententiisque veterum patrum undique excerptas, ex iure etiam civili Romanorum quo tempore coepit revivicere, multa capita.

Quem librum, licet ut caeteri, a privato homine concinnatus sit atque sine huius sanctae sedis auctoritate editus, Eugenius tamen pontifex, quasi in gratiam sedis apostolicae conscriptum, publice in academiis proponi et docceri postea iussit, exemplo ferme Adriani, qui edicto [2] perpetuo, quod Iulianus iurisconsultus privatim composuerat, ius publicum dici deinceps voluit.

---

[1] Anno a nativitate Domini circiter 1100 [sic].

[2] l. 2. ff. de orig. iur.

At postea invalescente Romanorum pontificum auctoritate, ac multiplicatis eorum constitutionibus atque omni ferme potestate penes illos confirmata, coeperunt has constitutiones in aliud volumen conferre. Ex quibus Gregorius IX. quasi alter Iustinianus, librum unum usibus et temporibus consentaneum per Raymundum capellanum suum ac poenitentiarium componi iussit, qui liber decretalis dicitur, quod epistolis ut plurimum decretalibus constet.

Verum enimvero non una manu idem confectus est liber, sed post sextam tantum compilationem consequutus est publicam auctoritatem. Nam tempore [1] Alex. III. cum multa a Gratiano viderentur ex antiquis conciliis et summorum pontificum constitutionibus omissa, Bernardus praepositus Papiensis, mox Faventinus episcopus, novas illas decretales in unum corpus redegit, cuius collectio prima compilatio est dicta [2], ab auctore tamen Breviarium extravagantium fuit inscripta.

Et licet eiusmodi quoque collectio a privato homine fuerit elaborata, nullo videlicet summi pontificis iussu praecedente; tantam tamen adeptus est auctoritatem, ut Vincentius, Alanus, Tancredus, Laurentius et Rogerius, viri alioquin gravissimi, in eam glossemata conscripserint.

Huic successit Gilbertus et Alanus et eorum discipulus Ioannes Gallensis [3], qui a magistris tentata et inchoata, uti propria misit in lucem, iisque glossemata addidit quaedam, prout fecere alii, nempe Hugo Ferrariensis episcopus et Bernardus maior Compostellanus [4].

Eodem exemplo secutus est Bernardus archidiaconus Compostellanus, qui etiam propria auctoritate [5] tertiam confecit compilationem dictam Romanam, quod esset Romae congesta, etsi interim Petro Beneventano Innocentius III. a Romanis, ut aliqua collectio pontificia auctoritate ederetur, saepe rogatus, mandavit [6] ut publica auctoritate decretalium liber conscriberetur.

Huic publicae collationi quamvis interpretationem adhibuisse Paulum Hungarum arbitrabatur Ioannes Andreas, ex vetusto tamen codice antiquarum compilationum, ab Anagnia civitate in bibliothecam vaticanam delato, quem ipse legi, constat eosdem etiam Vincentium, Alanum, Rogerium, Iacobum et Tancredum glossas fecisse, sed omnium copiosissime id praestitit idem Tancredus Bononiensis archidiaconus, Honorio III. charissimus, apudque eum [7] non minimae aestimationis et auctoritatis.

Paulo post in concilio Lateranensi omnium celeberrimo (unde merito per antonomasiam generale Concilium dicitur) aliud quoque volumen posterioribus eius constitutionibus et eiusdem concilii LXXI. capitibus est comprehensum, ex quo quarta compilatio nomen habuit [8] quam praefatus

---

[1] Anno 1170. [2] Prima compilatio. [3] Secunda compilatio.
[4] Anno 1198. [5] Tertia compilatio. [6] Anno sui pontificatus XII.
[7] Anno 1225. [8] Quarta compilatio.

Tancredus digessisse creditur [1]; qui vero glossemata fecerit, varia est opinio: alii Ioannem, alii Iacobum, alii Robertum, sive Rogerium putant.

Quinta denique collectio [2] accessit ab eodem Tancredo ex Honorii III., qui proxime Innocentio successit [3], constitutionibus compaginata.

Novissime [4] autem Gregorius Nonus iam dictus quinque collectiones in ordinem et compendium, idque libris quinque distinctum, ab eodem Raymundo eius capellano, mox tertio ordinis praedicatorum magistro generali, cuius doctrina et vitae sanctitas insignis fuit, redigi iussit, ita ut omnes constitutiones et decretales epistolae, quae ad usum sui temporis facere videbantur, eo volumine continerentur, videlicet Alexandri Tertii, Lucii Tertii, Clementis Tertii, Innocentii Secundi, Innocentii Tertii, Caelestini Tertii, Eugenii Tertii, Leonis Tertii, Urbani Tertii, Paschalis Secundi, Honorii Secundi, Gregorii Secundi, Gregorii Quinti, Gregorii Octavi et posius Gregorii Noni, et aliorum paucorum veterum, ut puta Foelicis, cap. 1. de accusat. Stephani, cap. 7. eod. de accus. Adeodati, cap. 3. de simon. Hormisdae, cap. 1. de cler. non ordin. Callisti, c. 1. de poenit. et remiss.; adiecta quoque sunt decreta et canones conciliorum generalium, praecipue Lateranensium sub Alex. III. et Innoc. III. et provincialium nonnullorum.

Glossas vero satis eruditas conscripsit Bernardus de Botono Parmensis et canonicus Bononiae, cuius civitatis doctoribus et scholaribus idem Gregorius Nonus [5], sicut prius fecerat Innocentius Tertius, direxit.

Sexaginta annis vix interpositis Bonifacius Octavus [6], pontifex maximus renunciatus, novo adiuvandae reipub. Christianae studio accensus epistolas decretales suorum praedecessorum atque etiam Lugdunensis concilii generalis, sub Gregorio X. [7] celebrati decreta, per Gulielmum archiepiscopum Ebredunensem et Berengarium episcopum Biterensem ac magistrum Ricardum de Senis, S. R. E. vicecancellarium, curavit diligenter recenseri et multis constitutionibus novis a se additis in unum quoque volumen, sub eisdem quinque libris et titulis, quibus Gregoriana compilatio constat, redigi sextumque nuncupari mandavit [8]. Atque in hoc Ioannes Andreas Bononiensis omnes glossas conscripsit.

Eadem ratione eodemque ordine, Clemens V. in concilio Galliae Viennensi alios libros, qui Clementinae ab auctore dicti sunt, conscripsit.

Hic Bonifacio VIII. uno dumtaxat interposito Benedicto IX. succedens [9] paulo post [10] ita rebus Christiani orbis postulantibus Viennense generale indixit concilium. Ex cuius decretis et aliis suis constitutionibus librum cum informasset, atque morte praeventus, edere minus valuisset, eum Ioannes XXII. qui fuit proximus in pontificatu successor, anno secundo [11], gloriae et vigilantiae ipsius Clementis nil detrahi passus, sub

---

[1] Anno 1215. [2] Quinta compilatio. [3] Anno 1216. [4] Sexta compilatio.
[5] Anno 1230. [6] Anno 1244. [!] [7] Anno 1274. [8] Septima compilatio.
[9] Anno 1305. [10] Anno circa 1311. [11] Hoc est anno 1318.

eiusdem Clementis nomine illam publicavit compilationem [1], in quam etiam glossas confecit idem Ioannes Andreas Bononiensis.

Super haec denique constitutiones a variis pontificibus editae, quae nullo deinceps auctore in libro Extravagantium sunt relatae, etsi eorum aliae Ioannis Vigesimisecundi, aliae vero communes dicuntur.

A Joanne igitur Vigesimosecundo ad haec usque tempora, licet ob temporum calamitates vicissitudinesque rerum, multae eaedemque variae a variis pluribusque max. pontificibus editae sint constitutiones, et nonnulla inita concilia generalia, ut puta Constantiense, Basiliense, Florentinum, Lateranense III. [sic] et Tridentinum; horum tamen decreta seu canones ac pontificum illorum constitutiones hucusque in corpus canonum nondum fuerunt redacta.

Quocirca maxime optandum fuit, ut aliquis in medium prodiret, qui maiorum nostrorum exempla sequutus, eorum praesertim, qui Pandectas, Codicem decretalesque compilarunt, hasce summorum pontificum constitutiones et conciliorum decreta in unum volumen, etiam libris quinque divisum et suis titulis dispositum et capitibus comprehensum, publica et pontificia auctoritate redigeret, quo sane vix quidquam est, quod Christiano orbi gratius contingere posse intelligeremus.

Quare adhibitis aliquot viris aetate, moribus et iurisprudentiae perspicuis, opus sumus aggressi atque eodem ordine concinnavimus [2].

Nam constitutiones prorsus similes, quae a diversis pontificibus sunt promulgatae, in hac compilatione inserendas non esse iudicavimus, sed ea dumtaxat una, quae caeteris accommodatior visa est, aliis omnino omissis.

Si vero duae vel plures de eadem re constitutiones contrariae vel diversae ab uno, vel a diversis pontificibus reperiebantur, ea sane, quae usu forensi magis esset recepta, retenta est deletis aliis.

Ex his vero, quae prolixae nimis viderentur, superfluis resecatis, reliqua necessaria pars, uti perpetua lex, in hoc volumine inseritur.

Omnes quoque constitutiones supervacaneas atque inutiles penitus submovendas esse non inconsulto decrevimus.

Denique ad exemplum Triboniani, Raymundi, atque etiam Bonifacii Octavi, non modo superfluas et contrarias abstulimus et resecavimus et quae dubiae in prioribus erant, declaravimus, sed etiam interdum in totum vel in parte mutavimus multisque correctionibus, detractionibus et additionibus (prout expedire visum est) factis, et in hoc unum potissimum incubuimus, ne moles cresceret librorum, ne leges absque necessitate multiplicarentur, cum et faciles esse debeant et paucae, atque ut dubia et lites, quoad eius fieri potest, tollerentur.

Conciliorum vero non omnia sunt inserta decreta, sed ea tantum, quae ad rem nostram facere videbantur; ex Constantiensi etenim, quod

---

[1] Octava compilatio. [2] Nona compilatio.

nno 1414 fuit inchoatum, nulla desumuntur, quia in hoc totum fere est, at sedato schismate trium pontificum Ioannis Vigesimisecundi, Benedicti Decimitertii et Gregorii Duodecimi, damnarentur Ioannes Huus et Hieronymus de Praga haeretici.

De Basiliensi [1] nulla habita fuit ratio, ne sedis apostolicae auctoritate aliquod ipsius decretum confirmari videretur.

Ex Florentino [2] non pauca sunt apposita.

Sicut ex Lateranensi [3], sub Iulio Secundo inchoato et sub Leone Decimo perfecto, multa suis propriis titulis accommodavimus.

Tridentini vero, sub Paulo Tertio incoepti [4] et sub Iulio Tertio continuati et sub Pio Quarto absoluti atque perfecti [5], fere omnia decreta et canones, etiam dogmatales, optima ratione in hoc volumen sunt redacta; quam, ut est novissimum, ita et copiosius ac fere omnia, quae in aliis acta sunt, comprehendit, sive ad morum correctionem, sive ad dogmata fidei usumque forensem pertinentia; et multa veteris huius iuris innovantur, supplentur et emendantur, pleraque vero dissuetudine antiquata restituuntur, atque omnia miro ordine, diserto sermone, infallibili doctrina, ita ut nihil doctius, nihil disertius, nihil sanctius expeti posset. Ex quibus omnibus habetur, qua methodo et qua ratione hoc decretalium volumen fuit confectum.

---

[1] Anno 1431. [2] Anno 1438. [3] Anno 1513. [4] Anno 1545.
[5] Anno 1563.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

TITULUS I.

DE SUMMA TRINITATE ET FIDE CATHOLICA.

Benedictus XII.

Cap. I. Animae iustorum, qui sine peccato vel poenae debito ex hac vita decedunt, vel qui post mortem poenas peccati in purgatorio luerunt, statim, ante iudicium generale, ad visionem dei beatitudinemque aeternam admittuntur; animae in actuali peccato mortali decedentium mox post mortem aeternis poenis mancipantur.

Eugenius IV. in generali concilio Florentino.

Cap. II. Fidei Catholicae veritas definitur adversus Graecorum errores: de processione Spiritus sancti a Patre et Filio; de corpore Christi conficiendo tam in azymo quam in fermentato pane; de purgatorio deque primatu, quem Romanus pontifex in universum orbem tenet.

Idem in eodem.

Cap. III. Quaedam fidei capita pro Armenis exponuntur; videlicet, de duabus naturis in una Christi persona, de duabus voluntatibus duabusque Christi operationibus deque septem Ecclesiae sacramentis.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. IV. Asserentes animam esse mortalem et unicam in cunctis hominibus, uti haeretici puniendi sunt. In studiis generalibus hoc singulis annis publicetur.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. V. Decretum de canonicis scripturis.

Tit. I. Cap. I. ex const., *Benedictus Deus*, §. 2—6 (Hac in perpetuum — procedatur), dat. 29 Jan. 1336. Bullar. Rom. E[dit.] L[uxemburg.] n. 3, Tom. I, p. 217 sqq.

Cap. II., Const., *Laetentur coeli*, §. 2—8, dat. 22 Nov. 1439; in E. L. n. 17, I, 335. sq.

Cap. III., Const., *Exultate Deo*, §. 4—16 (In nomine s. Trinitatis — continetur), dat. 22 Nov. 1439; in E. L. n. 19, I, 438 sqq.

Cap. IV. Const., *Apostolici regiminis*, §. 2, 5 (Hoc sacro — mandamus), dat. 19 Dec. 1519; in E. L. I, 542.

Cap. V. Sess. IV., a princ. — §. Omnes itaque.

Ex eodem.

Cap. VI. Decretum de editione et usu sacrorum librorum.

Ex eodem.

Cap. VII. Decretum de peccato originali.

Ex eodem.

Cap. VIII. Decretum de iustificatione cum canonibus eo spectantibus.

Ex eodem.

Cap. IX. Decretum de sacramentis et canones eo pertinentes.

Ex eodem.

Cap. X. Decretum de purgatorio.

Ex eodem.

Cap. XI. De fidei professione facienda a provisis de beneficiis curatis nec non de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus.

Pius Papa IV.

Cap. XII. A provisis de beneficiis curatis, dignitatibus, ecclesiis, monasteriis nec non a promotis et promovendis ad aliquam liberalium artium facultatem vel ad doctoratus gradum aliaque eiusmodi munera publica, fidei professio est facienda, cuius forma praescribitur.

TITULUS II.

DE CONSTITUTIONIBUS.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. A quibus nominatim decreta concilii Tridentini solenniter recipi et doceri debeant.

Cap. VI. Sess. IV., princ. — §. Sed et impressoribus.

Cap. VII. Sess. V., totum decretum exhibetur.

Cap. VIII. Sess. VI., prooem., cap. 1—16; can. 1—33.

Cap. IX. Sess. VII., prooemium omissis ultimis verbis incipientibus: reliquos, qui supersunt; can. 1—13.

Cap. X. Sess. XXV., totum decretum exhibetur.

Cap. XI. Sess. XXIV. de ref. c. 12, §. Provisi autem — Neminem etiam.

Cap. XII. Decretalis desumta est ex duabus constitutionibus Pii IV, quarum prima incipit, *Iniunctum Nobis*, dat. 13. Nov. 1564; in E. L. n. 89, II, 138, altera vero, *In sacrosancta*, dat. eodem die; in E. L. n. 88, II. 136. Decretalis pars prima exhibet prioris bullae prooem. et §. 1; reliqua ex §. 2 — 4 alterius constitutionis desumta, sed in compendium redacta sunt.

Tit. II. Cap. I. Sess. XXV. de ref. c. 2.

Ex eodem.

Cap. II. Canones ad amussim serventur. Si quando in eis dispensandum, id valide, mature et gratis fiat.

Pius Papa IV.

Cap. III. Decreta omnia concilii Tridentini confirmantur et omnibus Christi-fidelibus suscipienda et observanda proponuntur.

Urbanus Papa VIII.

a. *Constitutiones apostolicae in iis, quae ad fidem et s. Inquisitionis officium pertinent, omnes regulares quomodolibet privilegiatos comprehendunt.*

TITULUS III.

DE RESCRIPTIS.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Exemtiones absque rationabili causa, et quorum interest minime citatis, concessae, nullius roboris et momenti esse decernitur.

Idem in eodem.

Cap. II. Conservatores ordinum religiosorum in dignitate ecclesiastica constituti atque doctrina et probitate conspicui esse debent.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. III. In criminalibus appellatio ab episcopo quando metropolitano aut uni ex vicinioribus committenda sit.

Ex eodem.

Cap. IV. Summarie cognoscat episcopus de gratiis aut absolutionem criminis aut remissionem poenae respicientibus.

Ex eodem.

Cap. V. Dispensationes extra Curiam episcopo committantur et ab eo examinentur.

Benedictus Papa XIV.

a. *De concessione et executione dispensationum apostolicarum super impedimentis matrimonii, imprimis pro matrimoniis catholicorum cum haereticis. Nulla*

Cap. II. Sess. XXV. de ret. c. 18.
Cap. III. Const., *Benedictus deus*, §. 2—4., dat. 26. Jan. 1564; in E. L. n. 73, II, 111.
a. Const., *Quum sicut*, dat. 5. Nov. 1631; in E. L. n. 127, IV., 15, in appendice.
Tit. III. Cap. I. Const., *Regiminis*, §. 7, dat. 15. Mai 1515; in E. L. n. 10, I. 552.
Cap. II. Const., *Dum intra mentis*, §. 17, dat. 19. Dec. 1519; in E. L. n. 22, I. 582.
Cap. III. Sess. XIII. de ref. c. 2.
Cap. IV. Sess. XIII. de ref. c. 5.
Cap. V. Sess. XXII. de ref. c. 6.
a. Const., *Magnae Nobis*, dat. 29. Junii 1748 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).

conceditur dispensatio, quae alicui certo executori directa non sit, cui in mandatis datur, ut de omnium expositorum veritate cognoscat, et dispensationem ipsam servatis servandis effectum sortiri faciat. Voluntas concedentis, clausulae et conditiones in literis dispensationum expressae omnino observandae sunt. Ordinariis enixe commendatur, ut apostolicas dispensationum literas, quae ipsis pro executione diriguntur, attente considerent, vel considerari iubeant, atque si quid in eiusmodi literis abnorme et novi exempli adesse videatur, de earum veritate aut falsitate (apud sanctam sedem) disquirant.

Idem.

b. *De eodem argumento. In dispensationibus vi apostolicae facultatis ab ordinariis concedendae expresse declarandum est, illas concedi tanquam a sedis apostolicae delegatis. Quod si omittitur, actus nullus est.*

Idem.

c. *Dispensationum matrimonialium causae veraciter exponendae et ab executoribus omnino verificandae sunt *.*

---

b. Const. ***Ad tuas manus***, dat. 8. August. 1748 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

c. Const., ***Ad apostolicae***, dat. 25. Febr. 1742 (Bullar. Bened. XIV. Tom. I.). Pius V. Const., ***Cum sicut***, (dat. 1. Dec. 1566; in E. L. n. 21, II, 213) constituit, in dispensationibus matrimonialibus ceterisque gratiis apostolicis a procuratoribus s. Poenitentiariae veritatem causarum exponendam esse sub poena falsi; Idem s. Pontifex altera const., ***In omnibus***, (dat. 18. Maii 1569, in E. L. n. 83, II, 300), alias insuper poenas superaddidit.

* Episcopus Moguntinus de officio ordinarii circa modum verificandarum causarum in executione dispensationum matrimonialium observandum a summo pontifice Pio IX. die 26. April. 1867 declarationem supplicavit. Verba eius haec sunt: „Beatissime Pater! In literis apostolicis, quae in forma Brevis pro nupturientibus pauperibus super impedimentis consanguinitatis gradus secundi simplicis et mixti nec non affinitatis secundi atque etiam primi gradus a s. sede expediri atque ad exequendum officiali cuiusque episcopi committi solent, praescribitur, ut dispensatio non prius executioni tradatur, quam officialis „per informationem exactam a personis fide dignis rite et recte examinatis canonice habitam veritate realiter ac omni mendacii et fraudis suspicione prorsus remota niti“ compererit; quandoque autem tantummodo praescribitur, ut idem officialis „se diligenter informet, et si per informationem eandem preces veritate niti“ repererit, ulterius procedat. Iam vero dubiis hac de re exortis humiliter supplico, ut Sanctitas V. benigne declarare velit: 1) Utrum officialis in instituenda praevia informatione semper eodem modo, an pro memorata discrepantia verborum in textu Brevium alia atque alia et quanam ratione procedere debeat? 2) Utrum sufficiat exacta relatio solius parochi proprii oratorum, cui huiusmodi negotium mandari solet, quando ex eiusdem testimonio de veritate precum certe constet, an aliae insuper personae examinandae sint? 3) An testimonium solius parochi, quo certe constet de veritate precum, tunc saltem sufficiat, quando tenor verborum Brevis dumtaxat postulat, ut executor de veritate precum se diligenter informet? 4) An pro valore actus semper requiratur, ut personae de veritate precum examinandae, quae affirmaverint, continenter etiam iuramento praestito confirment? An sufficiat solius parochi proprii testimonium de paupertate oratorum, si quidem sit res plane notoria, ipsos eo sensu, de quo hic unice agitur, vere pauperes censendos esse? 6) An ad validam dispensationem omnino requiratur, ut personae de paupertate oratorum examinandae ad praestandum iuramentum adigantur? Quibus expositis etc. Ad haec dubia, non ipsa Dataria Ap., sed episcopi Moguntini in hac re procuranda mandatarius,

Idem.

d. *Duplex ex duplicitate gradus impedimentum derivans in petendis dispensationibus matrimonialibus est exponendus; nam dispensatio pro simplici tantum gradu obtenta non sufficit ad matrimonium valide contrahendum.*

Pius Papa IX.

e. *Facultas ordinariis a sede apostolica concessa dispensandi super impedimento mixtae religionis non suffragatur concurrente in nupturientibus alio aliquo matrimonii impedimento, super quo itidem ordinario dispensandi facultas a summo pontifice concessum fuit.*

. . . . Sanctitas Vestra saepius iam . . . ad quinquennium benigne mihi impertita est facultatem dispensandi super impedimento mixtae religionis in contrahendis matrimoniis. Sed in istiusmodi matrimoniis interdum alia adhuc impedimenta concurrunt ab ecclesia statuta. Mihi autem . . . persuasum fuit, nihil obstare, quominus concurrente impedimento mixtae religionis cum uno alterove impedimento, super quo mihi etiam dispensare ea delegata potestate, quam Sanctitas V. mediante s. congregatione de propaganda fide episcopis Germaniae concedere solet, adhibitis binis istis apostolicis facultatibus valide et legitime in huiusmodi casibus dispensare valeam. Hinc ergo factum est, ut ab annis iam a me et a vicario meo generali haec praxis constanter observata fuerit, qua tunc solummodo ab apostolica sede dispensatio pro singulis matrimoniis mixtae religionis implorabatur, quando simul etiam concurrebat impedimentum, de quo in praefatis quinquennalibus de Propaganda fide sermo non occurrit . . . . Sed nunc exorta sunt dubia de isto modo agendi ac propterea

---

„de s. Datariae Apostolicae mandato“ uti ait, atque „duce praxi communiter retenta“ d. 10. Oct. 1867 Roma rescripsit, quae sequuntur: Ad I. Officialis semper debet habere exactam informationem de negotio, de quo agitur, per personam fide dignam acceptam. Satis est, ut officialis habeat moralem convictionem, et nihil interest, si uno vel alio modo illam acquisivit. Ad II. Si officialis fiduciam veram et indubiam, quae ex convictione morali oritur, habet de parochi persona, huius parochi relatio sufficit ad constituendam precum veritatem ac certitudinem. Ad III. Quando officialis habet fidem indubiam de parocho et de eius animi integritate, tunc relatio ac testimonium illius nec non examen ab eo peractum et apud curiam episcopalem diligenter expositum, sufficiens semper est. Ad IV. Iuramentum a persona examinanda praestatur in eo tantum casu, in quo idem iuramentum a s. sede per apostolicas literas matrimoniales praescribitur, secus non: nam quod lex voluit, expressit; quod non expressit, non voluit. Ad V. Quando constat de fide et integritate parochi, testimonium illius circa paupertatem sufficit, nisi aliunde aliter constet; in hoc enim casu officialis de paupertate diligenter informationem quaeret. Ad VI. Iuramentum praestandum in eo tantum casu, in quo s. sedes illud praescripsit in literis apostolicis dispensationum matrimonialium.“ (Archiv für katholisches Kirchenrecht [1867] v. XVIII., p. 486).

d. Const., ***Etsi matrimonialis***, cum decreto apposito, dat. 27. (30.) Sept. 1755 (Bullar. Bened. XIV. T. IV.).

e. Responsum s. congregationis Inquisitionis dat. 12. Sept. 1866 episcopo cuidam Germaniae. Archiv für kathol. Kirchenrecht (1867) XVII, 174.

humiliter supplico, ut S. V. benigne declarare velit: Utrum facultas expedita per s. congregationem de Propaganda fide recte et valide adhiberi possit conjunctim cum altera facultate expedita a. s. congregatione s. Officii nec ne, quando nimirum agitur de connubiis mixtis?

Ad haec s. congregatio Inquisitionis rescripsit — *Negative.*

Idem.

f. Facultates concessae dispensandi super singulis matrimonii impedimentis extendi non possunt ad casum quo haec eadem impedimenta simul concurrant et cumulentur.

Dubiis exortis humiliter supplico Sanctitati Vestrae, ut benigne declarare velit: Utrum vigore facultatum, quas s. sedes mediante s. congr. de Propaganda fide episcopis Germaniae ad Quinquennium concedere solet, etiam tunc dispensari possit cum nupturientibus, siquidem duo vel plura simul concurrunt impedimenta canonica, super quibus singulis separatim tamen spectatis dispensandi facultas ibidem explicite tribuitur?

(Ad haec ab episcopo Moguntino quaesita cardinalis praefectus s. congregationis de Prop. fide rescripsit, quae sequuntur:) Preces ab Ampl. Tua Bmo. Patri porrectas . . . . attente perlegi, atque sequenti ratione reponi posse videtur. In primis attentis declarationibus s. Inquisitionis Tribunalis perspectum est facultates concessas dispensandi supra singula impedimenta extendi non posse ad casum, quo haec eadem impedimenta simul concurrant et cumulentur.

Idem.

g. Rescriptum tanquam subrepticium habetur, quando super impedimentis consanguinitatis vel affinitatis vigore facultatum episcopis a sede apostolica concessarum dispensatur, reticito in precibus incestu iam tunc patrato, vel quando incestus post porrectas preces patretur vel iteretur.

Dubiis exortis humiliter supplico Sanctitati V., ut benigne declarare velit: Utrum dispensationes super impedimentis consanguinitatis vel affinitatis vigore facultatum, quas s. sedes episcopis Germaniae ad Quinquennium concedere solet, per reatum incestus inter oratores commissi, sed in precibus reticiti, vel post missas preces patrati vel iterati reddantur invalidae et irritae, licet executor hanc irritantem intentionem in exequendis huiusmodi dispensationum literis non habuerit? (Ad quae dubia praefectus s. congr. de Prop. fide haec rescripsit:) Relate ad alterum, an

---

f. Preces supplices ab episcopo Moguntino summo pontifici d. 15. Febr. 1868 porrectas atque responsum cardinalis Barnabo, praefecti s. congregationis de Prop. fide dat. 16. Junii 1868. C. Archiv. (1869) XXI., 172.

g. Conf. preces supplices in nota praecedenti citatas; Archiv. l. c. ubi responsum cardinalis praefecti s. C. de Prop. fide legitur. (Sciendum est, quod multi episcopi a s. sede impetrare solent literas sic dictas, *Perinde valere*, quibus facultas conceditur dispensationes ob incestum reticitum vel iteratum nullas et irritas sanandi.)

scilicet irritae sint dispensationes super impedimentis consanguinitatis et affinitatis vigore earumdem facultatum concessae, quando in precibus expressum non fuerit crimen incestus inter sponsos commissi, vel post preces iterati: id Ampl. Tuae rescribo, ex stylo curiae Romanae tamquam subreptitium haberi rescriptum, quando in precibus crimen huiusmodi reticitum fuerit.

Idem.

h. In facultatibus, quibus ex concessione apostolica ordinarii pollent, absolvendi ab omnibus casibus s. Sedi reservatis, semper excepti habendi sunt casus reservati in bulla Benedicti XIV. quae incipit, „Sacramentum poenitentiae!“

Sanctissimus Dominus noster Pius IX. in solita audientia R. P. D. adsessori s. Officii impertita, auditis suffragiis Eminentissimorum patrum cardinalium Inquisitorum generalium, attentis rerum et temporum circumstantiis, decrevit, ut facultatibus, quibus episcopi aliique locorum ordinarii pollent, absolvendi ab omnibus casibus s. sedi reservatis, excipiendos semper in posterum et exceptos habendos esse casus reservatos in bulla Benedicti XIV., quae incipit: *„Sacramentum poenitentiae.“* Et s. congregationi de Prop. fide iniunctum voluit, ut in expediendis facultatibus formularum post verba: *„absolvendi ab omnibus casibus apostolicae sedi reservatis etiam in bulla Coenae“,* addatur: „exceptis casibus reservatis in bulla Benedicti XIV. quae incipit, Sacramentum poenitentiae“.

Clemens Papa X.

i. Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus sedi apostolicae reservatis non ideo a casibus episcopo reservatis possunt absolvere.

Pius Papa IX.

k. Habentes facultatem absolvendi a casibus et censuris, sive ab excommunicationibus pontifici Romano reservatis, non possunt absolvere a casibus in constitutione, Apostolicae sedis, *dat. 12. Octobr. 1869, summo pontifici speciali modo reservatis. In novis concessionibus et privilegiis, quae a sede apostolica concedentur, nullo modo et ratione intelligi vel comprehendi potest facultas absolvendi ab aliquo casuum Romano pontifici reservatorum, nisi eiusdem formalis, explicita et individua mentio facta sit.*

Benedictus Papa XIV.

l. Quae gratiae apostolicae per Datariam apostolicam, quae per Secretariam brevium sint expediendae.

---

h. Decretum congregationis S. Officii dat. feria IV., 27. Junii 1866. Archiv (1867), XVII., 174.

i. Const., *Superna magni*, dat. 21. Juni 1670; in E. L. n. 7., VI., 305. Cf. Benedictus XIV. Const., *Pias Christifidelium*, dat. 22. Aug. 1752.

k. Const., *Apostolicae sedis*, dat. 12. Oct. 1869. Conf. tit. de poenit. et remiss. V, 18 in fine.

l. Const., *Gravissimum*, dat. 26. Nov. 1745 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. VI. Circumspecte commutandae ultimae voluntates.

Ex eodem.

Cap. VII. Iudices a synodo designandi, qui delegentur a sede apostolica, a quibus et ordinariis causae breviter terminandae.

Benedictus Papa XIV.

m. *Commissiones causarum non aliis quam iudicibus synodalibus dirigendae, quorum electio ordinariis commendatur, et, ut extra synodum cum consilio capituli fiat, permittitur.*

Clemens Papa VIII.

n. *Quum iudici appellationis constiterit, justam esse censuram ecclesiasticam in appellantem latam, appellans remittendus est ad iudicem, qui excommunicavit, ut ab ipso beneficium absolutionis obtineat, si humiliter petierit, debitamque emendationem praestiterit. Si vero censura manifeste iniusta fuit, iudex appellationis appellantem absolvat; si dubitatur, honestius est ut ad excommunicatorem absolvendus remittatur.*

Benedictus Papa XIII.

o. *Declaratur praedictum Clementis VIII. decretum quoad absolutionem cum reincidentia ad effectum audiendi, ita, ut huiusmodi absolutio a iudice appellationis semper committatur ordinariis excommunicantibus cum clausula, ut infra tres dies absolvant censuratos iuxta commissionem. Quod si ordinarius recusaverit vel neglexerit, iudex superior absolutionem committat confessario iuxta dandam commissionis formam.*

TITULUS IV.

DE ELECTIONE.

Innocentius Papa IV.

Cap. I. Is qui pontifex Romanus a duabus partibus cardinalium electus est, electo non computato, Papa habeatur. Cardinales electione instante discedentes, eligendi potestate hac vice privantur.

Cap. VI. Sess. XXII. de ref. c. 6.

Cap. VII. Sess. XXV. de ref. c. 10.

m. Const., *Quamvis paternae*, dat. 26. Aug. 1741 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

n. Decretum s. congr. episcoporum de mandato Papae d. 16. Oct. 1600 latum.

o. Declaratio exstat in append. ad concil. Romanum a. 1725 (Romae 1725) p. 123. Tit. IV. Cap. I. Decretalis in bullariis non exstat. In Cod. membr. saec. XIV. I. B. 4. Musei bohemici Pragensis (conf. *Fr. Schulte*, Die Decretalen zwischen den Decretales Gregorii IX. u. Liber VI. Bonifacii VIII. etc., Wien 1869) decretalis nostra iisdem verbis legitur, sed Alexandro IV. adscribitur. Textum, quia in bullariis non legitur, integrum descripsimus.

Quia frequenter, et infra. Statuimus, ut defuncto S. R. E. antistite, ac eius corpore tradito sepulturae, cardinales, qui in eodem loco fuerint, cessante discrimine aut violentia laicorum, pontificem eligant, statutis a iure temporibus, absentibus fratribus expectatis. Si quis ex praedictis cardinalibus a loco, in quo summus pontifex obiit electione instante discesserit, eligendi potestate se ipsum illa vice privavit, et is universalis pastor et episcopus habeatur, qui a duabus partibus praesentium eligetur, electo in duabus partibus minime computato.

Alexander IV. Archiepiscopo Moguntino.

Cap. II. Prohibetur sub fidelitatis debito et excommunicationis poena quominus Conradum, filium Conradi, Friderici olim imperatoris nepotem, regem Romanorum eligant. Excommunicatio in electores promulgatur, qui Conradum eligere, vel eius electionem promovere praesumserint.

Julius Papa II.

Cap. III. Simoniaca electio summi pontificis nulla est. Poenis gravissimis plectuntur tum ipse invalide electus, tum cardinales simoniae rei. Liceat cardinalibus, clero et populo Romano, subditis, nec non Romanae ecclesiae praefectis, a talis electi etiam inthronizati obedientia discedere.

Paulus Papa IV.

Cap. IV. Contra ambientes Papatum aut vivente Papa tractantes de eligendo futuro vel eorum mediatores, procuratores aut consilium auxiliumve quoquo modo praestantes, poenae gravissimae constituuntur.

Pius Papa IV.

Cap. V. Ordinationes diversae pro tempore sedis apostolicae vacantis, circa exequias pro defuncto summo pontifice die nono absolvendas, circa ingressum conclavis non prorogandum post decem dies a die obitus pontificis, electionem et observantiam conclavis proferuntur. Iurisdictiones cardinalium, camerarii, maioris Poenitentiarii, Datarii aliorumque officiorum declarantur.

Gregorius Papa XV.

a. *Forma in eligendo summo pontifice observanda praescribitur. Tres tantum electionis formae fieri possunt, scilicet per scrutinium, per compromissum et per*

Cap. II. Const., *Firma profecto*, §. 1—5, dat. 28. Juli 1256; in E. L. n. 7, I, 111.

Cap. III. Const., *Quum tam divino*, a princ. — §. 8, dat. 14. Jan. 1505; in E. L. n. 3, I., 466. Ex notis Pinellianis apparet textum ex originali descriptum fuisse.

Cap. IV. Const., *Quum secundum*, dat. 16. Dec. 1558; in E. L. n. 16, I, 837; Bulla fuit in compendium redacta.

Cap. V. Const., *In eligendis*, princ. — §. 31, dat. 9 Oct. 1562; in E. L. n. 53, II., 97 sqq. Conferas *Gregorii XIV.* Const., *Cogit nos*, prohibentem, quominus sponsiones super futura electione summi Pontificis vel promotionibus cardinalium fiant, quae legitur infra cap. 11 de poenis V. 27. Pius Papa IX. const., *Apostolicae sedis*, censuras omnes circa electionem summi pontificis latas confirmavit. Conf. Tit. de poenis, V, 27 in fine.

a. Const., *Aeterni patris*, dat. 15. Nov. 1621; in E. L. n. 13, III. 444. Altera eiusdem Pontificis constitutione quae incipit, *Decet Romanum*, dat. 12. Mart. 1621 (III. 454)

quasi inspirationem. Compromissus vel quasi inspiratio, ut valeat electio, nemine dissentiente, fieri debet. Forma electionis per scrutinium et accessum observanda accurate definitur. Pactiones et sponsiones quaecumque prohibentur sub poena excommunicationis. Secretum in electione stricte observetur.

Clemens Papa XII.

b. *Potestas et officium praescribitur, quae sede apostolica vacante cardinalium congregationi competunt.*

Idem.

c. *Ordo in Conclavi observandus aliaque munera et officia in Conclavi peragenda describuntur.*

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. VI. Promovendus ad cardinalatum, qui praesens est in curia ante consistorium cardinales adeat atque promotus eos visitet.

Idem in eodem.

Cap. VII. Prohibetur, quominus commendationes monasteriorum personis non idoneis, praesertim laicis, fiant.

Innocentius Papa XII.

d. *Prohibetur, quominus capitulationes vel statuta quaecunque ante electionem in ecclesiis cathedralibus, capitulis et monasteriis condantur. Poenae in contravenientes statuuntur.*

Benedictus Papa XIV.

e. *Declaratur sub praedicta constitutione Innocentiana comprehendi etiam monasteria et collegia utriusque sexus nec non eadem constitutione prohiberi quascunque etiam per se honestas et licitas capitulationes.*

Idem.

f. *Provisio in consistorio facta vim insimul electionis et confirmationis habet.*

Caeremoniale continens usus electionis approbatur. Utramque Gregorianam constitutionem *Urbanus VIII.* sua bulla, quae incipit, *Ad Romani*, dat. 28. Jan. 1625 (in c. L. 45, IV., 95) confirmavit.

b. Const., *Apostolatus*, dat. 4. Oct. 1732; in E. L. Continuat. Tom. XIV. p. 248.

c. Chirographum Papae continens instructionem de rebus supra citatis instituendis dat. 12. Dec. 1732; in E. L. l. c. XIV, 254.

Cap. VI. Const., *Supernae dispositionis*, §. 5 in fine et §. 6 (Praesens — mandamus), dat. 21. Maii 1514; in E. L. n. 7, I, 543.

Cap. VII. Const. citata, *Supernae dispositionis*, §. 9 et 10. Textus consonat cum bulla usque ad verba = commendari possint =. Proximis verbis omissis sequitur posterior periodus §. 10, videlicet = Ac literae . . . . Hinc alteratur sensus, quem contextus bullae praebet.

d. Const., *Ecclesiae Catholicae*, dat. 22. Sept. 1695; in E. L. VII. 245.

e. Const., *Pastoralis regiminis*, dat. 25. Julii 1754 (Bullar. Bened. XIV. T. IV.).

f. Const., *In postremo*, dat. 10. Oct. 1756 (Bullar. Bened. XIV. 6. IV.).

Iulius Papa III.

ap. VIII. Electi ad beneficia maiora vel de beneficiis minoribus in curia Romana provisi ante confirmationem vel literas apostolicas confirmationis confectas, nullo modo se ingerant administrationi.

Pius Papa IX.

Suspensionem ipso facto a perceptione beneficiorum ad beneplacitum sedis apostolicae et summo pontifici reservatam incurrunt capitula, conventus omnesque admittentes ad regimen et administrationem ecclesiarum episcopos vel alios praelatos apud sanctam sedem quocunque modo provisos, antequam ipsi literas apostolicas de sua promotione exhibuerint.

Ex generali concilio Tridentino.

ap. IX. Quis capax regiminis ecclesiarum cathedralium.

Ex eodem.

ap. X. Habilibus dumtaxat personis beneficia conferantur.

Ex eodem.

ap. XI. A quocunque praesentati non instituantur sine praevio examine ordinarii et approbatione, certis exceptis.

Ex eodem.

ap. XII. Quinam ad cathedrales ecclesias assumendi.

Clemens Papa XIII.

Regularis, quamvis sit probus et doctus, ad episcopatum non assumatur, nisi ecclesiae necessitas vel magna utilitas id postulet.

Ex generali concilio Tridentino.

ap. XIII. Quales esse debeant promovendi ad dignitates et canonicatus ecclesiarum cathedralium.

Pius Papa IV.

ap. XIV. Electi ad dignitates monasteriorum nullo modo se ingerant regimini vel administrationi absque praevia sedis apostolicae confirmatione; quod si fecerint, electiones nullae sint et invalidae.

Cap. VIII. Const., *Sanctissimus*, dat. 27. Maii 1553; in bullario Laert. Cherubini a. 586 Romae edito est Num. 23. In aliis collectionibus non exstat.

g. Const., *Sedis apostolicae*, dat. 12. Octobr. 1869.

Cap. IX. Sess. VII. de ref. c. 1.

Cap. X. Sess. VII. de ref. c. 3.

Cap. XI. Sess. VII. de ref. c. 13.

Cap. XII. Sess. XXII. de ref. c. 2.

h. Const., *Acceptis secundis*, dat. 2. Jan. 1762 (Bullar. Rom. Contin. T. II. p. 46.).

Cap. XIII. Sess. XXIV. de ref. c. 12. princ. — Provisi etiam.

Cap. XIV. Const., *Sanctissimus in Christo*, princ. §. 1—3, dat. 31. Oct. 1564; in E. . n. 86, II, 129.

Gregorius Papa XIII.

Cap. XV. Abbatissae et aliae praefectae monasteriorum monialium ad triennium tantummodo eligantur.

Gregorius Papa XV.

i. Licet episcopo, una cum superioribus regularibus quarumcunque abbatissarum, priorissarum, praefectarum vel praepositarum in monasteriis monialium, etiam regularibus subiectarum, electionibus per se vel per alium interesse ac praesidere. Sed minime episcopo ius abbatissas confirmandi attributum est.

Gregorius Papa XIV.

Cap. XVI. Praescribitur forma faciendi processus ex praescripto concilii Tridentini promovendorum ad regimen ecclesiarum cathedralium et aliorum beneficiorum consistorialium.

Urbanus Papa VIII.

k. Instructio particularis circa conficiendos processus inquisitionis in qualitates eorum, qui promovendi sunt ad regimina cathedralium aut aliarum superiorum ecclesiarum vel monasteriorum; ut in dictis processibus conficiendis serventur sacri canones, concilium Tridentinum et constitutio Gregorii Papae XIV. super forma huiusmodi processuum conficiendorum constituitur.

Benedictus Papa XIV.

l. De pallii benedictione et traditione et formula in ea adhibenda. Praescribitur forma iuramenti praestandi pro traditione pallii.

TITULUS V.

DE TRANSLATIONE EPISCOPORUM.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Nullus praelatus, nisi iustis efficacibusque rationibus et causis, transferatur invitus. (Est totus textus.)

Cap. XV. Const., *Exposcit debitum*, §. 1—4, dat. 1. Jan. 1583; in E. L. n. 80, II, 495. Bulla ista Gregoriana in originali pro Italia tantum data est. In textu libri nostri generatim pro omnibus monasteriis electiones triennales praescribuntur.

i. Const., *Inscrutabili*, dat. 5. Febr. 1622; in E. L. n. 18, III., 452. Cum responso s. cong. concilii ad dub. V. approbato a Gregorio XV. et Urbano VIII., l. c. p. 453 sq.

Cap. XVI. Const., *Onus apostolicae*, §. 5—13, dat. 15. Mart. 1592; in E. L. n. 6, II, 763. Sixtus V. congregationem cardinalium pro erectione ecclesiarum et provisionibus consistorialibus instituit constitutione, quae incipit, *Immensa aeterni*, dat. 1. Febr. 1587; in E. L. n. 74, II., 668.

k. Instructio data a. 1627 exstat in bullario Rom., quod opera Cocquelines ab anno 1732 Romae prodiit T. VI. P. I.

l. Const., *Rerum ecclesiasticarum*, dat. 12. Aug. 1748 (Bullar. Bened. XIV. T. II.). Tit. V. Cap. I. Const., *Supernae dispositionis*, §. 8, dat. 21. Mai 1513; in E. L. n.

Benedictus Papa XIV.

. Causae translationum examinandae sunt inspecta dumtaxat ecclesiarum necessitate et utilitate, ad quam causae omnes reducuntur. Huiusmodi examen ad congregationem particularem super promovendis ad archiepiscopatus et episcopatus pertinet.

TITULUS VI.

DE RENUNTIATIONE.

Pius Papa V.

ap. I. Ordinarii eorum dumtaxat resignationes admittere possunt, qui aut senio confecti, aut valetudinarii aut corpore impediti vel vitiati, aut crimini obnoxii censurisque ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt aut non debent ecclesiae vel beneficio inservire, seu qui unum aliud vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri; religionem quoque ingressuri vel matrimonium contracturi, si statim id re ipsa exequantur; denique cum quis ex aliis casibus acciderit, qui constitutione f. r. Innocentii III. de dimittendis cathedralibus ecclesiis edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficii residere securi. Sed nec horum ullus sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus, valeat beneficium vel officium ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari. Ad haec ordinarii beneficiorum et officiorum permutationes admittere possunt, quae canonicis sanctionibus et apostolicis constitutionibus permittuntur. Quae in his cavenda sint, exponitur. Nunquam aut episcopi aut dimittentium consanguinei de beneficiis resignatis provideantur. Poenae in contravenientes statuuntur.

Gregorius Papa XIII.

ap. II. Ad praecavendas simulatas occultasque beneficiorum resignationes forma publicandi resignationes beneficiorum in curia et extra curiam praescribitur. Resignationes contra praescriptam formam factae nullae declarantur.

Benedictus Papa XIV.

*. Confirmatur praedicta constitutio Gregoriana et occurritur abusibus ad eam eludendam inductis.

., I., 544. In textu bullae leguntur verba haec: Neque aliquis praelatus invitus, nisi iiis iustis efficacioribusque rationibus et causis transferatur iuxta formam ac decretum oncilii Constantien.

a. Const., *Ad apostolicae*, dat. 17. Octobr. 1740 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

Tit. VI. Cap. I. Const., *Quanta ecclesiae*, §. 3—6, dat. 1. April 1568; in E. L. n. 8, II., 269. In alia sua constitutione, quae incipit, *Cogit nos*, (dat. 13. Mart. 1569; in . L. n. 32, II., 232) Pius V. modum et formam designavit servandam in expeditione terarum apostolicarum super gratiis resignationum adiectis certis clausulis.

Cap. II. Const., *Humano vix iudicio*, dat. 5. Januar. 1584, princ., §. 1—8; in E. L. . 85, II, 502 sq.

a. Const., *Ecclesiastica*, dat. d. 25. Juni a. 1746 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).

TITULUS VII.

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRAELATORUM.

Ioannes XXII. Eduardo regi Angliae.

Cap. I. Eduardus II. rex Angliae monetur, ut corrigat gravamina populis Hiberniae contra formam concessionis apostolicae illata.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. II. De instituenda lectione sacrae Scripturae in monasteriis.

Benedictus Papa XIV.

a. *Negligentia episcopi in deputando bis aut ter in anno confessario extraordinario pro monialibus, a cardinali Maiori Poenitentiario, negligentia superioris regularis, ab ordinario loci supplenda est.*

TITULUS VIII.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM ET QUALITATE ORDINANDORUM.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. De institutione sacerdotii novae legis.

Ex eodem.

Cap. II. De septem ordinibus.

Ex eodem.

Cap. III. Ordinem vere esse sacramentum.

Ex eodem.

Cap. IV. De ecclesiastica hierarchia et ordinatione.

Ex eodem.

Cap. V. Conf. argum. cap. I. h. t.

Ex eodem.

Cap. VI. Conf. argum. cap. II. h. t.

Tit. VII. Cap. I. Const., *Paternum amorem*, Ex prooem. (verba *Cum Hadrianus* — errata) §. 2. incerti temporis; in E. L. n. 4, I, 197.

Cap. II. Sess. V. de ref. c. 1. §. In monasteriis — convertant.

a. Const., *Pastoralis curae*, dat. 5. Aug. 1748 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).

Cap. I. Sess. XXIII. Doctrina de sacram. ordinis c. 1.

Cap. II. l. c. c. 2.

Cap. III. l. c. c. 3.

Cap. IV. l. c. c. 4.

Cap. V. l. c. can. 1.

Cap. VI. l. c. can. 2.

Ex eodem.

Cap. VII. Conf. argum. cap. III. h. t.

Ex eodem.

Cap. VIII. Per sacram ordinationem dari Spiritum sanctum atque imprimi characterem indelebilem.

Ex eodem.

Cap. IX. De sacra unctione et aliis caeremoniis in ordinatione adhibitis.

Ex eodem.

Cap. X. Conf. argum. cap. IV. h. t.

Ex eodem.

Cap. XI. De ecclesiastica hierarchia.

Ex eodem.

Cap. XII. De legitimis et veris episcopis.

Pius Papa II.

Cap. XIII. Omnes et singuli, qui absque dispensatione canonica aut legitima licentia, sive extra tempora a iure statuta, sive ante aetatem legitimam, vel absque dimissoriis literis contra sanctiones canonicas ad sacros ordines se faciunt promoveri, a suorum ordinum executione ipso iure suspensi sint, et si, huiusmodi suspensione durante, in eisdem ordinibus ministrare praesumserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Et ultra alias poenas in tales generaliter a iure inflictas, beneficiis ecclesiasticis possunt iure privari.

Pius Papa IX.

a. *An et quo casu provinciales regularium cum novitiis defectu natalium laborantibus, qui ex decreto s. congregationis super statu regularium diei 19. Martii 1857 in familia regulari vota simplicia professi sunt, dispensare possint ad hoc ut his ordines conferantur.*

Archiepiscopus Mexicanus humillime exponit, quod S. V. decreto s. congregationis super statu regul. die 19. Martii 1857 praecepit, ut novitii iam sexdecim annorum, etiam expleto novitiatus anno ad normam Tridentini non alia vota nisi simplicia valeant emittere, dilata emissione solemnium post triennium, si digni tunc reperti fuerint, qui ad professio-

---

Cap. VII. l. c. can. 3.
Cap. VIII. l. c. can. 4.
Cap. IX. l. c. can. 5.
Cap. X. l. c. can. 6.
Cap. XI. l. c. can. 7.
Cap. XII. l. c. can. 8.
Cap. XIII. Const., *Cum ex sacrorum*, §. 2. dat. 12. Nov. 1461; in E. L. n. 7, I, 373.
a. Acta S. congregationis super statu regularium ab A. archiepiscopo Philippensi secretario collecta (Romae 1862), n. 23. Archiv. XVI., 376.

nem admittantur, dummodo ultra 25 annum eorumdem aetatis non protendatur. Ex expositis sequentia dubia exorta sunt, quorum solutionem a S. V. obsequiosissime expostulat . . . 2. Possunt provinciales dispensare cum novitiis defectu natalium laborantibus ante emissionem votorum solemnium ad hoc, ut his ordines conferantur? Ex audientia SSmi habita a d. secretario s. congr. super statu regul. sub die 20. Ian. 1860 SSmus ad propositum dubium rescribendum mandavit: ad 2. affirmative pro prima tonsura et ordines minores, quatenus provinciales ex apostolico indulto legitime gaudeant facultate dispensandi super dicta irregularitate, eaque revocata non fuerit.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. XIV. Episcopi in aliena dioecesi nec pontificalia exerceant nec ordines conferant. Si secus factum fuerit, episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso iure suspensi.

Ex eodem.

Cap. XV. Facultates de promovendo sine iusta causa nemini suffragentur.

Ex eodem.

Cap. XVI. Si prohibiti ascendere ad ordines ascendant, si interdicti, si suspensi, puniantur.

Ex eodem.

Cap. XVII. Si episcopus quoscunque ordines contulerit sibi non subdito, etiam familiari, sine expresso proprii praelati consensu, uterque decretae poenae subiaceat.

Ex eodem.

Cap. XVIII. Episcopus suos clericos ab alio male promotos suspendere potest, si minus idoneos repererit.

Ex eodem.

Cap. XIX. Arcentur a sacris ordinibus, qui non habent, unde vivere possint.

Pius Papa IX.

b. Suspensionem per triennium a collatione ordinum latae sententiae et summo pontifici reservatam ipso jure incurrunt, qui conferunt ordines cuicunque sine titulo beneficii vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

Cap. XIV. Sess. VI. de ref. c. 5.
Cap. XV. Sess. VII. de ref. c. 11.
Cap. XVI. Sess. XIV. de ref. c. 1.
Cap. XVII. Sess. XIV. de ref. c. 2.
Cap. XVIII. Sess. XIV. de ref. c. 3.
Cap. XIX. Sess. XXI. de ref. c. 2.
b. Const., *Sedis apostolicae*, dat. 12. Octobr. 1869.

Pius Papa V.

Cap. XX. Decretum praedictum concilii Tridentini de clericis saecularibus ad sacros ordines promovendis extenditur ad clericos regulares non professos, sive saeculares modo religiosorum in communi viventes.

Pius Papa IX.

c. *Suspensionem per annum a collatione ordinum latae sententiae et summo pontifici reservatam ipso iure incurrunt, qui, excepto casu legitimi privilegii, sine titulo beneficii vel patrimonii ordinem sacrum contulerint clerico viventi in congregatione, in qua non emittitur professio solemnis, nec non religioso nondum solenniter professo.*

Idem.

d. *Professi votorum simplicium ex decreto s. congregationis super statu regul. dat. 19. Martii 1857 in familia regulari non possunt titulo paupertatis ad sacros ordines promoveri. Quid episcopo agendum sit, si per demissionem vel dispensationem professi huiusmodi a votis soluti ad sacros ordines adspirent?*

Archiepiscopus Mexicanus et infra (vide cap. XII. a. h. t.). Ex expositis sequentia dubia suborta sunt, quorum solutionem a S. V. obsequiosissime expostulat: 1. Possuntne novitii post emissa vota simplicia, ante emissionem solemnium ad sacros ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante constitutione s. Pii V. die 12. Nov. a. 1568 in lucem edita? 4. Si novitii post emissa vota simplicia aut dimittantur e religione aut haec ab ipsis mobilitate animi relinquatur, quid cum eis agere debet ordinarius, si aut ad sacros ordines aut ad matrimonium forsitan adspirent? Ex audientia SSmi habita a d. secretario s. congr. super statu regul. sub die 20. Ianuarii SSmus ad proposita dubia rescribendum mandavit, ut sequitur: Ad 1. Negative quoad ordines sacros. Ad 4. Si professi votorum simplicium sive per dimissionem ab ordine sive per apostolicam dispensationem ab emissis votis soluti fuerint, se gerat cum illis prout cum ceteris suis dioecesanis sese gerere debet.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. XXI. Episcopi extra aegritudinem per se ordines conferant.

Ex eodem.

Cap. XXII. Qui prima tonsura initiandi.

Cap. XX. Const., *Romanus Pontifex*, dat. 14. Octobr. 1568, §. 1, 3; in E. L. n. 75, II., 290 sq.

c. Const., *Sedis apostolicae*, dat. 12. Octobr. 1869.

d. Bizzarri, Acta s. congr. num. 23. De ordinatione professorum votorum simplicium. Archiv. XVI., 376. Ad haec conferri possunt, quae Pius IX. secretario s. congr. super statu regul. rescribi iussit die 20. Januarii 1860 circa ordinationem eorum, qui in insula Melevitana vota simplicia emittunt. Bizzarri, acta etc. l. c. n. 25. Archiv. XVI., 377.

Cap. XXI. Sess. XXIII. de ref. c. 3.

Cap. XXII. Sess. XXIII. de ref. c. 4.

Ex eodem.

Cap. XXIII. Ordinandi quibus instructi esse debeant.

Ex eodem.

Cap. XXIV. Examinandi sunt ordinandi a viris peritis iuris divini et humani.

Ex eodem.

Cap. XXV. Quomodo et a quo unusquisque promoveri debeat.

Innocentius Papa XII.

e. Prohibetur, quominus quisquam non subditum ad clericalem tonsuram promoveat praetextu originis, domicilii vel beneficii mox conferendi. Clericus a proprio episcopo ad tonsuram vel minores ordines promotus ab alio ad ulteriores ordines promoveri non potest, nisi prius exhibitis literis testimonialibus episcopi originis et domicilii. Quid requiratur, ut quis ratione originis, domicilii, beneficii vel familiaritatis subditus alicui episcopo censeatur pro susciendis ordinibus? Ordinandi ratione domicilii, originis vel familiaritatis quo casu indigent testimonialibus literis?

Pius Papa IX.

f. Suspensionem per annum ab ordinum administratione summo pontifici reservatam ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius episcopi literis dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit absque ordinarii eius loci literis testimonialibus.

Urbanus Papa VIII.

g. Quid in ultramontanis ordinandis in Italia observandum sit? Sine literis dimissoriis episcopi proprii a nunciis apostolicis seu a collectoribus regni respectivi recognitis nemo in Italia ultramontanum ad ordines quoscunque promovere praesumat. Alias promoventes ad annum ab exercitio pontificalium, promoti perpetuo suspensi maneant, et maioribus poenis ad arbitrium summi pontificis infligendis subiaceant, quibus etiam obnoxii declarantur, qui cum falsis vel fictis aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se promoveri curant.

Pius Papa IX.

h. Suspensionem ab ordine suscepto summo pontifici reservatam ipso iure incurrunt, qui ordinem recipere praesumserunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio; Eum

---

Cap. XXIII. l. c. c. 5.
Cap. XXIV. l. c. c. 7.
Cap. XXV. l. c. c. 8.
e. Const., *Speculatores*, dat. 4. Nov. 1694; in E. L. n. 54, VII, 233.
f. Const., *Apostolicae sedis*, dat. 12. Octobr. 1869.
g. Const., *Secretis*, dat. 11. Dec. 1624; in E. L. n. 83, IV, 81.
h. Const., *Apostolicae sedis*, dat. 12. Octobr. 1869.

vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaratur.

Ex generali concilio Tridentino.

ap. XXVI. Episcopus familiarem ordinans conferat statim beneficium re ipsa.

Ex eodem.

ap. XXVII. Episcopis inferiores praelati tonsuram vel minores ordines ne conferant nisi regularibus sibi subditis, nec ipsi aut capitula quaecunque dimissorias concedant, graviori in decretum peccantibus poena statuta.

Benedictus Papa XIV.

Superiores regulares possunt suis subditis regularibus literas dimissorias concedere, ad episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, ordinandi positi fuerint; et si episcopus dioecesanus abfuerit vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcunque alium episcopum, dummodo regulares ad id tempus dimissorialium concessionem dolose non distulerint. In quo casu absentiae vel prohibitionis ordinarii, causae huius absentiae vel prohibitionis in literis dimissoriis veniunt exprimendae, adiuncta vicarii generalis episcopi authentica attestatione, ex qua constat, vel episcopum a dioecesi abesse, vel clericorum ordinationem proximo legitimo tempore habiturum non esse. Indulta de ordinando a quocunque tum demum valeant, si ipsis religiosis ordinibus nominatim atque directe concessa fuerint.

Pius Papa IX.

Superiores regulares, ad quos spectat, professis votorum simplicium, qui ex decreto s. congregationis super statu regul. (d. 19. Mart. 1857) in familia religiosa vota huiusmodi emiserunt, ante emissionem votorum solemnium literas dimissorias dumtaxat ad primam tonsuram et ordines minores concedere possunt.

SSmus D. N. Pius PP. IX. attentis precibus magistri generalis ordinis praedicatorum s. Dominici, haec quae sequuntur, circa naturam et qualitatem votorum simplicium, in encyclicis literis huius s. congregationis super statu regul. die 19. Martii 1857 praescriptorum, et circa obligationes et privilegia illorum, qui ea emittent, pro eodem ordine praedicatorum * decernenda statuit, prout praesentis decreti tenore apostolica auctoritate decernit atque constituit. . . . VII. Superiores regulares, ad quos spectat, concedere poterunt huiusmodi professis literas dimissorias dumtaxat ad primam tonsuram et ad ordines minores, servatis tamen de iure servandis,

---

Cap. XXVI. Sess. XXIII. de ref. c. 9.

Cap. XXVII. Sess. XXIII. de ref. c. 10.

i. Const., *Impositi Nobis*, dat. 27. Febr. 1747 (in Bullar. Bened. XIV. T. II.).

k. Declarationes ad illam encyclicam (s. congr. super statu regul. dat. 19. Mart. 59) etc., dat. 12. Junii 1858; *Bizarri*, Acta etc., n. 20; Archiv. XVI., 373.

* „N. B. Huiusmodi declarationes extensae fuerunt ad alios ordines, qui eas extulerunt.“ *Bizarri*, Acta, l. c.

et praesertim, quae circa ordinationes regularium ab apostolica sede praescripta sunt.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. XXVIII. Interstitia in susceptione minorum ordinum et certa alia praecepta observanda.

Innocentius Papa XII.

l. *Indulta suscipiendi ordines extra tempora nimis facile non concedantur. Possunt concedi, si quis beneficio arctatur, ob penuriam sacerdotum in illis partibus, vel in monasteriis pro regularibus; ob solatium patris vel matris, dummodo L. annos excedant, et orator saltem per triennium in clericali habitu honeste vixerit; referendariis utriusque signaturae, familiaribus summi pontificis, canonicis cathedralis, magistris, baccalaureatis in sacra theologia, doctoribus utriusque iuris vel saltem canonici; iis, qui saltem per triennium theologiae studiis operam navarunt, nec non XXVI. aetatis annum excedentibus, si per triennium in clericali habitu honeste et laudabiliter vixerint. Nuncii et episcopi indulta huiusmodi non nisi ex legitimis causis concedant. Nunquam concedantur pro festivis diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio arbitrio episcopi definiendo. Quibus indulta deneganda sint.*

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. XXIX. Aetas ad maiores ordines requisita; digni dumtaxat assumendi.

Ex eodem.

Cap. XXX. Subdiaconi et diaconi ordinatio qualis, et eorum munus; Nulli ordines sacri conferantur duo in eodem die.

Ex eodem.

Cap. XXXI. Quinam ad presbyteratum assumendi, adsumptorum munus.

Ex eodem.

Cap. XXXII. Arcentur ab ordinibus ecclesiis inutiles et vagi.

Ex eodem.

Cap. XXXIII. Munus consecrationis non differendum.

Cap. XXVIII. Sess. XXIII. de ref. c. 11.

l. Const., *Sanctissimus Dominus*, dat. 14. Decembr. 1693; in E. L. T. XII. p. 212. Innocentius XII. const., *Speculatores*, (conf. c. h. t.) omnes habentes indulta conferendi ordines extra tempora, serio monuit, ut praescriptos sibi in suis quibusque facultatibus terminos religiose custodiant.

Cap. XXIX. Sess. XXIII. de ref. c. 12.

Cap. XXX. Sess. XXIII. de ref. c. 13.

Cap. XXXI. Sess. XXIII. de ref. c. 14.

Cap. XXXII. Sess. XXIII. de ref. c. 16, pr. — §. Nullus.

Cap. XXXIII. Sess. VII. de ref. c. 9.

Ex eodem.

Cap. XXXIV. Ecclesiis praefecti consecrationis munus intra tres menses suscipiant; consecratio quo loco peragenda.

Ex eodem.

Cap. XXXV. Facultas de non promovendo annum non excedat.

Benedictus Papa XIV.

m. *Ius consecrandi episcopos privative ad summum pontificem spectat.*

Benedictus Papa XIII.

n. *Abbates regulares, licet perpetui tantum ratione administrationis, infra annum a die electionis computandum, solemnem benedictionem ab episcopo, in cuius dioecesi monasterium situm est, postulare debent. Semel benedicti, si translati fuerint ad monasterium alius dioecesis, iterum benedictionem petere non tenentur. Quid observandum abbatibus, qui privilegium suscipiendi benedictionem a quocunque habent.*

TITULUS IX.

DE AETATE ET QUALITATE ET ORDINE PRAEFICIENDORUM.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. In ecclesia cathedrali vel collegiata sacro ordine non initiati vocem in capitulo non habeant. Qualitates et onera obtinentium beneficia in illis.

Ex eodem.

Cap. II. Aetas quatuordecim annorum ad beneficium ecclesiasticum requiritur.

Ex eodem.

Cap. III. Norma procedendi ad creationem episcoporum et cardinalium.

Benedictus Papa XIV.

o. *Quid observandum sit in deligendis iis qui ad ecclesias cathedrales promovendi sunt. Congregatio particularis super huiusmodi promovendis instituitur. Munera eiusdem congregationis describuntur.*

Cap. XXXIV. Sess. XXIII. de ref. c. 2.

Cap. XXXV. Sess. VII. de ref. c. 12.

m. Const., *In postremo*, dat. 10. Octobr. 1756 (Bullar. Bened. XIV. T. IV.).

n. Const., *Commissi Nobis*, dat. 6. Mai 1725 (Concilium Romanum a. 1725, in appendice p. 77 sq.).

Tit. IX. Cap. I. Sess. XXII. de ref. c. 4.

Cap. II. Sess. XXIII. de ref. c. 6.

Cap. III. Sess. XXIV. de ref. c. 1.

a. Const., *Ad apostolicae servitutis*, dat. 17. Oct. 1740 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. IV. Quales esse debeant promovendi ad dignitates et canonicatus.

Ex eodem.

Cap. V. Ecclesia parochiali vacante deputandus ab episcopo vicarius, donec illi provideatur de parocho. Nominati ad parochiales, qua forma et a quibus examinari debent.

Pius Papa V.

Cap. VI. Provisiones ecclesiarum parochialium, quae fiunt non servata forma a concilio Tridentino praescripta, irritae declarantur et nullae. Collationes parochialium ad ordinarios spectantes, si, servata Tridentina forma, intra tempus praescriptum factae non fuerint, sedi apostolicae reservantur. Si episcopus minus habilem, posthabitis magis idoneis elegerit, possunt reiecti a mala electione appellare, quae tamen appellatio non suspendit exsecutionem electionis.

Idem.

b. *Decretum concilii de providendis ecclesiis parochialibus ad verbum fere repetitum denuo confirmatur, et a mala electione appellari posse sancitur.*

Clemens Papa XI.

c. *Methodus et forma in concursu pro parochialibus beneficiis conferendis omnino et ubique observanda praescribitur. Omnibus examinandis iidem casus et quaestiones eodem temporis spatio sub clausura in scriptis resolvendi tradantur, atque omnes sua quisque manu responsa scribant et tam ipsi quam examinatores, ordinarius vel eius vicarius, qui concursui interfuerint, subscribant. Parochialis ecclesia ei conferatur, qui magis idoneus et dignus iudicatus fuerit. Non admittatur appellatio aut a mala relatione examinatorum aut irrationabili iudicio episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur. Quod si factum fuerit, mittantur acta vel authenticum eorum exemplar ad iudicem appellationis, ex quibus, vel etiam ex aliis attestationibus fide dignis examinatus, qui se gravatum esse praetendit, gravamen sibi illatum ostendere tenetur. Novum ad examen provocandi facultas appellanti non concedatur.*

Benedictus Papa XIV.

d. *Praedicta Clementina constitutio de methodo et forma instituendi concursus pro conferendis ecclesiis parochialibus confirmatur, sed nonnulla alia observanda adiiciuntur. Examinatorum suffragia non in sola literarum peritia, sed etiam in clericorum institutione, gravitate, morum honestate, prudentia, muniis antea*

Cap. IV. Sess. XXIV. de ref. c. 12. §. Neminem — §. Praeterea.

Cap. V. Sess. XXIV. de ref. c. 18.

Cap. VI. Const., *In conferendis*, §. 3—9, dat. 18. Mart. 1567; in E. L. n. 32, II, 234 sq.

b. Const., *Apostolatus officium*, dat. 19. Aug. 1567 (Bullar. Rom. edit. Cocquelines T. IV. P. II.).

c. Const., *Quo parochiales*, dat. 10. Jan. 1721; in E. L. VIII, 424.

d. Const., *Quum illud*, dat. 14. Dec. 1742 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

exercitis, idoneitate pro pascendis ovibus versari debent. Iudex etiam appellationis non solum maiorem doctrinam, sed alias etiam qualitates et virtutes librare tenetur; in quibus librandis innitatur legitimis probationibus ad ferendam sententiam. Appellatio saltem devolutiva negari nequit. Si ordinarius in conferendo beneficio ex informata conscientia sententiam tulerit, familiaribus literis, secreti lege adiecta, iudicem appellationis informet; delatae ab episcopo causae et rationes inviolabilis secreti fide custodiantur. Duae sententiae conformes in utramlibet partem iudicio finem imponunt.

Idem.

e. *Respondetur ad dubium, an patronus ecclesiasticus teneatur praesentare ad beneficium curatum eum, quem examinatores inter approbatos digniorem esse iudicaverint; an episcopus eum instituere debeat, et quid de appellatione eius iudicandum sit, qui se digniorem esse et posthabitum censuerit.*

TITULUS X.

DE SACRA UNCTIONE.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Confirmationem verum et proprium sacramentum esse.

Ex eodem.

Cap. II. Confirmationis chrismati virtutem tribuendam esse.

Ex eodem.

Cap. III. Confirmationis ordinarium ministrum esse solum episcopum.

Ex eodem.

Cap. IV. Doctrina de sacramento extremae unctionis. Errores huic oppositi reprobantur.

TITULUS XI.

DE FILIIS PRESBYTERORUM ET ALIIS ILLEGITIME NATIS.

Clemens Papa VII.

Cap. I. Filii presbyterorum ex fornicatione nati officia vel beneficia ecclesiastica quaecunque, etiam regularia, quae ipsorum patres in titulum, commendam

---

e. Const., *Redditae Nobis*, dat. 9. April. 1746 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).

Tit. X. Cap. I. Sess. VII. de confirmatione can. 1.

Cap. II. l. c. can. 2.

Cap. III. l. c. can. 3.

Cap. IV. Doctrina de sacramento extremae unctionis cum tribus capitibus eo pertinentibus nec non quatuor canonibus immediate sequentibus.

Tit. XI. Cap. I. Const., *Ad canonum conditorem*, dat. 3. Juni 1530 §. 3; in E. L

vel administrationem habuerunt, minime obtinere possunt; neque unquam cum eis in hac inhabilitate dispensare licet.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. II. Filii clericorum illegitimi a quibusnam beneficiis arcendi.

TITULUS XII.

DE CLERICIS PEREGRINIS.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Clerici peregrini quando ad divina celebranda admittantur.

TITULUS XIII.

DE OFFICIO ET POTESTATE IUDICIS DELEGATI.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Iudices et conservatores a sede apostolica deputati, si in altero iurium graduati non fuerint, assessorem partibus non suspectum, ab ipsis partibus vel earum altera requisiti, assumere et secundum eius relationem iudicare teneantur (est totus textus).

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. II. Conservatorum iurisdictio certis finibus circumscribitur.

Clemens Papa XIII.

a. Bonifacii VIII., Gregorii XV. et Innocentii X. constitutiones de conservatoribus confirmantur, adiecta declaratione, quod superiores regularium temporanei conservatores constitui non possint, neque regularibus in missionibus in partibus infidelium degentibus iudices conservatores eligere fas sit.

I, 684. Sixti V. constitutio quae incipit, *Cum de omnibus* (dat. 26. Nov. 1587), qua omnibus illegitimis ex sacrilegio aut ex incestu procreatis ad omnes etiam minores ordines portae omnino clausae erant, a Gregorio XIV. const., *Circumspecta* (dat. 15. Mart. 1591), in his ad tramitem iuris communis revocata fuit. Conf. infra sub cap. 32 ss. sqq. de regular. III, 17.

Cap. II. Sess. XXV. de ref. c. 15.

Tit. XII. Cap. I. Sess. XXIII. de ref. c. 16 §. Nullus, in fine. Conf. infra cap. 8. sqq. de celebratione missarum III, 22.

Tit. XIII. Cap. I. Const., *Regiminis universalis*, §. 9, dat. 14. Maii 1514; in E. L. n. 10, I, 552.

Cap. II. Sess. XIV. de ref. c. 5.

a. Const., *Quum omnium*, dat. 28. April 1762 (Continuat. bullarii magni Rom. T. II.).

Innocentius Papa XII.

Protectorum ordinum regularium facultates certis finibus circumscribuntur.

TITULUS XIV.

DE OFFICIO ORDINARII.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Cardinales titulorum loca et personas quotannis visitent et de conservanda et propaganda fide praecipue invigilent.

Idem.

Cap. II. Libri non imprimantur absque examine vicarii Papae et magistri s. Palatii in urbe, episcoporum vel haer. prav. inquisitorum in aliis locis.

Benedictus Papa XIV.

Methodus in examinandis et proscribendis libris in congregationibus Rom. et univ. Inquisitionis et Indicis servanda praescribitur.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. III. Impressoribus in edendis libris modus imponatur.

Pius Papa IX.

Poena anathematis lata in decreto concilii Tridentini, Sess. IV, de editione et usu sacrorum librorum, *limitatur ad eos tantum, qui sine approbatione ordinarii imprimunt vel imprimi faciunt libros de rebus sacris tractantes.*

Ex eodem.

Cap. IV. De verbi Dei concionatoribus et quaestoribus eleemosynariis.

Ex eodem.

Cap. V. Praedicationis munus a quibus et quando obeundum. Ecclesia parochialis ad audiendum verbum dei adeunda. Nullus contradicente episcopo praedicet.

---

b. Const., *Christifidelium,* dat. 16. Febr. 1693; in E. L. VII, 198.

Tit. XIV. Cap. I. Const., *Supernae dispositiones*, princ. §. 19 prior pars et §. 26, dat. 21. Maii 1513; in E. L. n. 7, I, 143 sq.

Cap. II. Const., *Inter sollicitudines*, §. 2, dat. 4. Maii 1516; in E. L. n. 12, I, 554.

a. Const., *Sollicita et provida*, dat. 9. Juli 1753 (Bullar. Bened. XIV. T. IV.).

Cap. III. Sess. IV. Decretum de editione et usu sacrorum librorum, §. Sed et impressoribus.

b. Const., *Apostolicae sedis,* dat. 12. Octobr. 1869.

Cap. IV. Sess. V. de ref. c. 2.

Cap. V. Sess. XXIV. de ref. c. 4.

Gregorius Papa XV.

c. *Episcopus tamquam sedis apostolicae delegatus, potest coercere censuris aliisque poenis, quando et quoties opus fuerit, etiam extra visitationem, quoscunque exemptos, tam saeculares quam regulares, qui in alienis ecclesiis, aut quae suorum ordinum non sunt, absque ipsius episcopi licentia, et in ecclesiis suis aut suorum ordinum, non petita eius benedictione vel ipso contradicente, praedicare praesumserint.*

Clemens Papa X.

d. *Gregoriana constitutio laudata latius declaratur. Regulares ab episcopo benedictionem petere debent etiamsi in suis vel suorum ordinum ecclesiis praedicare voluerint, licet clausis ianuis et nullus saecularis interveniat. Episcopus, si in suis ecclesiis praedicare voluerint, absque iusta et rationabili causa contradicere non debet. Potest autem praedicatores examinare et licentiam praedicandi ipsis concessam ex moderato et discreto arbitrio suspendere. Non potest tamen generatim prohibere, ne in ecclesiis suorum ordinum praedicent.*

Ex eodem.

Cap. VI. Excessus saecularium clericorum et regularium degentium extra monasteria ab ordinario loci corrigantur.

Ex eodem.

Cap. VII. Nullus clericus eximatur a correctione episcopi, etiam extra visitationem.

Ex eodem.

Cap. VIII. Ecclesias quascunque episcopi et alii maiores praelati, quoties opus fuerit, visitent, omnibus, quae huic obstare possent, sublatis.

Ex eodem.

Cap. IX. Qui se gerere debeat episcopus quoad visitationem capitulorum exemptorum.

Clemens Papa VIII.

e. *Declaratur, Sess. XXV. de ref. cap. 6. §.* Qui vero, *praeservare tam dignitates, quibus annexa est administratio cum iurisdictione, quam illas, quae ex ecclesiae consuetudine pro dignitatibus habentur.*

Urbanus Papa VIII.

f. *Confirmantur declarationes nonnullae s. congregationis concilii, videlicet: epi-*

---

c. Const., ***Inscrutabili***, dat. 5. Febr. 1622; in E. L. III, 452.

d. Const., ***Superna magni***, dat. 21. Junii 1670; in E. L. VI, 305.

Cap. VI. Sess. VI. de ref. c. 3.

Cap. VII. Sess. XIV. de ref. c. 4.

Cap. VIII. Sess. VI. de ref. c. 4. Conf. infra cap. XV. sqq. de regular. III, 17.

Cap. IX. Sess. XXV. de ref. c. 6.

e. Const., ***Decet Romanum***, dat. 21. April. 1597 (Bullar. Rom. edit. Cocquelines T. V. P. II.).

f. Const., ***Quum sicut***, dat. 9. Juni 1640 (Bullar. Rom. ed. Cocquelines T. VI. P. II.).

scopum posse sine adiunctis procedere contra coadiutorem, nisi ei omnia privilegia, quae habent ipsi canonici, sint concessa; atque episcopum super hoc a capitulo impediri non posse; nec capitulares posse mulctare episcopum, sed solum ad superiores appellare.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. X. Plura beneficia curata obtinentes ordinario suas dispensationes exhibeant, qui de vicario ecclesiis provideat, congrua portione fructuum assignata.

Ex eodem.

Cap. XI. Quae beneficiorum uniones validae censeantur.

Ex eodem.

Cap. XII. Beneficia ecclesiastica unita visitentur; per vicarios etiam perpetuos cura animarum exerceatur; quorum deputatio fiat cum portione assignanda, etiam super re certa.

Pius Papa V.

Cap. XIII. Declarantur portiones assignandae vicariis perpetuis ecclesiarum parochialium monasteriis, beneficiis, ecclesiis vel locis piis perpetuo unitarum. Vicarii perpetui in huiusmodi ecclesiis unitis non ad liberam ordinationem episcoporum, sed ad nominationem eorum, in quorum ecclesiis unitis ponuntur, vel, si parochiales monasteriis regularium unitae sint, superiorum monasteriorum, praevio examine et cum approbatione ordinariorum, deputentur.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. XIV. Ecclesiae reparentur. Cura animarum sollicite habeatur.

Ex eodem.

Cap. XV. Monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia, et beneficia quaecunque quotannis ab episcopis visitentur.

Ex eodem.

Cap. XVI. A quo visitari debeant ecclesiae saeculares nullius dioecesis.

Ex eodem.

Cap. XVII. Episcopi prudenter moribus subditorum reformandis invigilent; ab eorum correctione non appelletur.

Cap. X. Sess. VII. de ref. c. 5.

Cap. XI. l. c. c. 6.

Cap. XII. l. c. c. 7.

Cap. XIII. Const., *Ad exsequendum*, d. 1. Nov. 1567, §. 2, 4, 5; in E. L. n. 47, II, 259. Bulla haec in parte respiciente vicarias ecclesiarum Mendicantium ad iuris et concilii Tridentini terminos reducta est a Gregorio XIII. const., *In tanta*, dat. 1. Maii 1571.

Cap. XIV. Sess. VII. de ref. c. 8.

Cap. XV. Sess. XXI. de ref. c. 8.

Cap. XVI. Sess. XXIV. de ref. c. 9.

Cap. XVII. Sess. XIII. de ref. c. 1.

Benedictus Papa XIV.

e. *Describitur episcoporum munus circa vitam et honestatem clericorum, delectum ministrorum, institutionem seminariorum, visitationem dioecesium et ecclesiarum nec non electionem eorum, quibus cura animarum committenda est.*

Pius Papa IX.

f. *De iisdem argumentis capitis praecedentis aliisque gravissimis episcoporum officiis disseritur.*

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. XVIII. Exsecutio visitationis a subditis ne suspendatur.

Ex eodem.

Cap. XIX. Coadiutores curae animarum quando sint assumendi. Ratio novas parochias erigendi traditur.

Ex eodem.

Cap. XX. Imperitis parochis vicarii, assignata parte fructuum, deputentur; in scandalo perseverantes privari beneficiis possint.

Ex eodem.

Cap. XXI. Episcopi pias omnium dispositiones exsequantur; quaecunque pia loca visitent, dummodo non sub immediata regum protectione sint.

Ex eodem.

Cap. XXII. Administratores quorumcunque piorum locorum reddant rationem ordinario, nisi aliter in fundatione sit cautum.

Ex eodem.

Cap. XXIII. Notarii episcoporum examini et iudicio subiaceant.

Ex eodem.

Cap. XXIV. Qua ratione exercitia minorum ordinum repetenda.

Ex eodem.

Cap. XXV. Synodi provinciales quolibet triennio, dioecesanae quotannis celebrentur; qui eas cogere quive illis interesse debeant.

---

e. Const., *Ubi primum*, dat. 3. Dec. 1740 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).
f. Const., *Qui pluribus*, dat. 9. Nov. 1846 (Pii IX. Acta, V. I. P. I. p. 4 sqq.).
Cap. XVIII. Sess. XXIV. de ref. c. 10.
Cap. XIX. Sess. XXI. de ref. c. 4.
Cap. XX. Sess. XXI. de ref. c. 6.
Cap. XXI. Sess. XXII. de ref. c. 8.
Cap. XXII. Sess. XXII. de ref. c. 9.
Cap. XXIII. Sess. XXII. de ref. c. 10.
Cap. XXIV. Sess. XXIII. de ref. c. 17.
Cap. XXV. Sess. XXIV. de ref. c. 2.

Ex eodem.

Cap. XXVI. Qua ratione visitatio per praelatos facienda.

Ex eodem.

Cap. XXVII. Datur episcopis potestas circa irregularitatum et suspensionum dispensationes et criminum absolutiones.

Ex eodem.

Cap. XXVIII. Sacramentorum virtus, antequam populo administrentur, ab episcopis et parochis explicetur. Inter missarum solemnia sacrae paginae explanentur.

Ex eodem.

Cap. XXIX. Publice peccantes publice poeniteant, ni episcopo aliter videatur. Poenitentiarius in cathedralibus instituendus.

Ex eodem.

Cap. XXX. De delectu ciborum, ieiuniis et diebus festivis.

Clemens Papa XIII.

g. Ieiunii observantia inculcatur. Abusus reprobantur.

Abusum illum censemus omnino numerandum (inter nova invecta), quem rumor quidam ad nos pertulit, cum nonnulli, quibus, ob iustas et legitimas causas ab abstinentia carnium dispensatum fuerit, licere sibi putant potiones lacte permixtas sumere, contra quam praedicto praedecessori nostro visum fuerit, qui censuit, tam dispensatos a carnium abstinentia, quam quovis modo ieiunantes, unica excepta comestione, in omnibus aequiparandos iis esse, quibuscum nulla est dispensatio; ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem, vel quae ex carne trahunt originem, adhibere. *

Benedictus Papa XIV.

h. Caute in concedendis dispensationibus a ieiunii praecepto agendum. Dispensationes nemini concedantur sine legitima causa, nec universitatibus sine urgente

---

Cap. XXVI. l. c. c. 3.
Cap. XXVII. l. c. c. 6.
Cap. XXVIII. l. c. c. 7.
Cap. XXIX. l. c. c. 8.
Cap. XXX. Sess. XXV. decretum de delectu ciborum, ieiuniis et diebus festivis.

g. Const., *Appetente*, dat. 20. Dec. 1759 (Continuat. Bullarii Rom. T. I.). * In propositione LXXIV. Synodi dioecesanae Pistoriensis, damnata a Pio VI. per constitutionem *Auctorem fidei*, dat. 28. Aug. 1749, de praecepto ieiunii legitur: „In eo, quod supperaddit (synodus) de transferendis in adventum episcopali auctoritate ieiuniis per annum ex ecclesiae praecepto servandis, quatenus adstruit, episcopo fas esse iure proprio transferre ab ecclesia praescriptos pro festis ieiuniisve celebrandis . . . propositio falsa, iuris conciliorum generalium et summorum pontificum laesiva, scandalosa, schismati favens.“ Conf. infr. sub cap. 3. b. de feriis II, 3.

h. Const., *Non ambigimus*, dat. 30. Mai 1741 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

necessitate. Unica comestio semper servetur. Epulae vetitae cum licitis non apponantur. Dispensati alia pia opera loco ieiunii substituant.

Idem.

i. Constitutio praedicta latius declaratur. Unica comestio servanda est iis, quibus licet vesci carnibus.

Idem.

*k. Quaestionibus diversis de ieiunii praecepto respondetur, videlicet: Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adiectis conditionibus, unicae in diem comestionis, et non permiscendarum epularum. Qui huiusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligantur. Ii, quibus concessum est vesci carnibus, non possunt in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quae ieiunantibus permittitur, sed opus habent eo cibo, eaque uti potione, quibus utuntur homines ieiunantes rectae conscientiae. Iis, qui ieiunii tempore vesci carnibus permittuntur, et unica comestione uti debent, hora ieiunantibus praescripta observanda est. Ad dubium, quaenam sint epulae licitae, quae vetantur cum interdictis coniungi, respondetur, esse carnes ipsas pro iis, quibus permissum est, carnes comedere; epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Praeceptum, de utroque epularum genere non miscendo, dies quoque dominicos Quadragesimae complectitur, atque memorata duo praecepta urgent etiam extra Quadragesimam. ***

---

i. Const., *In suprema*, dat. 22. Aug. 1741 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

k. Const., *Si fraternitas*, dat. 8. Aug. 1744 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

** *Dubia recens a s. Poenitentiaria resoluta circa ieiunium:*

I. Utrum in diebus ieiunii possit inverti tempus comestionis sumendo serotinam refectiunculam infra horam X. et XI. matutinam, prandium vero differendo ad IV. vel V. horam vespertinam? *S. Poenitentiaria die 10. Januarii 1834 respondendum censuit: Si inversionis supradictae rationabilis aliqua esset causa, poenitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos.* II. Se i padri di famiglia, allorchè vi è nella famiglia medesima qualche persona dispensata ad usare cibi di grasso, possono estendere la dispensa indistintamente a tutti gl' individui della stessa famiglia? *S. Poenitentiaria respondendum censuit, infirmitatem, et aliud quodcumque rationabile impedimentum de utriusque medici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium, eximere posse a praecepto in diebus esurialibus.* III. Se nella Quaresima essendo il capo della famiglia dispensato a mangiar carne, ed il medesimo non potendo, o non volendo fare due pranzi, uno di grasso, e l' altro di magro, i figli di famiglia, e le persone addette al suo servizio possano mangiar carne? *S. Poenitentiaria die 16. Januar. 1834 respondendum censuit, posse personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis, adiecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis, et de unica comestione in die iis, qui ieiunare tenentur.* VI. Un Confessore domanda alla Santità V. se ai dispensati *ad esum carnium* nei giorni di Venerdì e Sabato fra l'anno, nei quali non vi è obbligo del digiuno, sia permessa la promiscuità dei cibi, non ostante la risposta data da Bened. XIV. all' Arcivescovo di Saragozza per organo della Segretaria de' Memoriali li 5. Gennaio 1755. *S. Poenitentiaria die 15. Februarii 1834, proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione SS. Domino Nostro Gregorio XVI, de ipsius Sanctitatis suae mandato respondet: permitti.* VII. Utrum in lege vetitae permixtionis cum carnibus comprehendantur pisces sale siccati (vulgo

Idem.

l. Quae fuerit mens summi pontificis in constitutionibus de ieiunii praecepto editis exponitur.

Idem.

m. Ieiunii praeceptum, quum inciderit in aliquem diem festum, ieiunium transfertur ex capite 1. X. de observantia ieiuniorum; quum vero ex alia causa, e. gr., ne magnae ac pene communi irreverentiae exponatur (quod haud dubio eveniret ultimo bacchanalium die, si tunc ieiunium transferendum foret), anticipandum vel transferendum esset, id nonnisi summi pontificis licentia fieri potest.

Idem.

n. Ieiunii disciplina conservanda vel reintegranda est. Dispensationes generales pro oppidis aut dioecesibus integris nonnisi ex certa ratione et iusta causa petendae vel concedendae sunt. Causae, pro concedendis dispensationibus personalibus vel generalibus, recensentur. Generatim constituitur, ne illi, quibus licet carnes edere quum ieiunium tempore Quadragesimae vel extra Quadragesimam fidelibus praescribitur, unius comestionis limites excedant, ac ne piscibus simul et carnibus parari sibi mensam patiantur.

Pius Papa IX.

o. De ieiunio servando tempore Iubilaei.

---

salumi, idest, *alici*, *mosciame*, *caviale*, *aringa*, *tarantello* ec.), an potius misceri possint ad instar condimenti alterius ferculi? *S. Poenitentiaria die 16. Januar. 1834. respondit, pisces sale siccatos . . . . vetari misceri cum carnibus, quoties carnis et piscium vetita est permixtio.* VIII. Utrum in diebus ieiunii tempore Adventus a Pio VI. praescripti, permissis tamen lacticiniis, cui propter infirmitatem licitus est esus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis et piscium? *S. Poenitentiaria die 8. Januarii 1834, respondit: affirmative, nempe non licere eiusmodi promiscuitatem.* IX. Utrum tempore ieiunii, cum licitus est esus carnium, liceat miscere testacea marina, quae improprie *fructus maris* dicuntur, sed vulgo pisces censentur, id est, *ostriche, telline, patelle, canolicchi, cappe, granchi etc. S. Poenitentiaria die 16. Januar. 1834 respondit: testacea marina, quae improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur, vetari misceri cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita est.* XIII. Utrum, cum sive per bullam Cruciatae, sive aliam ob causam conceditur indultum pro usu laridi liquefacti (vulgo *strutto*) solo tituto condimenti, ii, qui ad ieiunium tenentur, eo condimento uti licite possint in serotina etiam refectione? *S. Poenitentiaria die 16. Januar. 1834, de expresso sa. mem. Papae Leonis XII. oraculo respondet, quod ii, qui ad ieiunium tenentur, licite uti possunt in serotina etiam refectione condimentis in indulto permissis, quia illa, vi indulti, olei locum tenent, dummodo in indulto non sit posita restrictio, quod ea condimenta adhiberi possint in unica comestione.* Conf. Synodus dioecesana habita in cathedrali ecclesia Centumcellarum anno 1846 ab Emmo. et Revmo. Vincentio, episcopo Portuensi s. Rufinae et Centumcellensi, S. R. E. cardinali Macchio (Romae 1847), in appendice p. 212 sq.

l. Const., *Cognovimus*, dat. 12. Mai. 1742 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

m. Const., *Prodiit iam diu*, dat. 30. Junii 1751 (Bullar. Bened. XIV. T. III.); quae confirmata fuit a Clemente XIII. const., *Et paternus amor*, dat. 4. Mart. 1762 (Continuat. Bullar. Rom. T. II.).

n. Const., *Libentissime*, dat. 24. Junii 1745 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

o. Decreta s. congregationis indulgentiarum et ss. reliquiarum data die 10. Julii 1869; Archiv. XXIII, 153.

Editis literis apostolicis in forma Brevis die 11. Aprilis 1869, quibus Sanctissimus D. N. Pius PP. IX. omnibus Christifidelibus indulgentiam plenariam in forma Iubilaei occasione oecumenici concilii concessit, huic s. congregationi indulgentiarum et ss. reliquiarum infrascripta proposita sunt dubia, praesertim circa ieiunia, quae Christifideles servare debent, ut indulgentiam huius Iubilaei lucrari valeant. Quibus sedulo perpensis s. congregatio, benigne annuente Sanctissimo Domino, respondendum censuit prout respondet. Dub. I. Inconcussi iuris est, operibus alias praeceptis satisfieri non posse obligationi de operibus iniunctis ad acquirendas indulgentias, nisi aliud constet expresse de mente concedentis; nihilominus pro hoc Iubilaeo oritur dubium, quia in literis apostolicis legitur *„praeter consueta quatuor anni tempora, tribus diebus etiam non continuis, nempe quarta et sexta feria et sabbato ieiunaverint.“* Quaeritur an standum sit regulae generali, ita ut ad effectum lucrandi indulgentiam omnes dies ieiunii, ad quod quisque tenetur, vel dies ieiunii quatuor anni temporum dumtaxat excludantur? S. congr. respondit: Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam. Dub. II. An ieiunia quatuor anni temporum, attenta voce illa *praeter*, ultra tria ieiunia pro Iubilaeo expresse praescripta, habenda sint uti opus iniunctum ad indulgentiam acquirendam? S. congr. respondit: Negative. Dub. III. An iis, qui aut voto aut praecepto, uti sunt Franciscales, aut quocumque alio titulo tenentur toto anni tempore ieiunare aliquo die ex diebus praescriptis pro Iubilaeo, suffragetur tale ieiunium ad lucrandam indulgentiam? S. congr. respondit: Affirmative. Dub. IV. Cum religiosi s. Francisci teneantur ieiunare a secunda die Novembris usque ad nativitatem Domini, quaeritur, utrum hoc decurrente tempore, ipsi possint unico ieiunio tribus praescriptis diebus facto satisfacere duplici obligationi tum praecepti, tum Iubilaei? S. congr. respondit: Permittitur ex speciali Sanctitatis suae indulto, dummodo esurialibus tantum cibis pro dictis tribus Iubilaei ieiuniis utantur, quamvis fortasse ab usu ciborum esurialium dispensationem pro dicta Quadragesima obtinuerint. Dub. V. An idem dicendum sit pro Quadragesima ecclesiae etiam quoad Christifideles? S. congr. respondit: Permittitur ex speciali Sanctitatis suae indulto, ut in responsione ad quartum dubium, et cum eadem conditione in ea apposita. Dub. VI. Utrum ieiunia pro Iubilaeo praescripta debeant esse ieiunia stricte sumpta, etiam quoad *qualitatem* ciborum, sicuti ea, quae ex ecclesiae praecepto adimplenda sunt, quin tamen quis uti possit indultis, si quae pro ieiuniis ecclesiae obtenta fuerint? S. congr. respondit: Affirmative, nisi aliquod speciale indultum, in quo etiam de Iubilaei ieiunio expressa mentio fiat, obtineatur. Dub. VII. Si quis indultum vescendi carnibus etiam pro ieiuniis Iubilaei consequatur, teneturne lege de non permiscendis epulis, nempe carnibus cum piscibus? S. congr. respondit: Affirmative. Dub. VIII. An ii, qui ad statutam aetatem pro ieiunii obligatione nondum pervenerint, nec non operarii, aliique, qui ob legitimam causam ad ieiunia ab ecclesia praecepta non tenentur,

debeant ieiunare, ut indulgentiam lucrentur? S. congr. respondit: Affirmative. Quod si iudicio confessarii id praestare nequiverint, confessarius ipse poterit ieiunium in alia pia opera commutare. Dub. IX. In literis apostolicis legitur „tribus diebus etiam non continuis.“ Quaeritur, an in *hoc* Iubilaeo ob dicta verba singuli dies ieiunii in diversas hebdomadas dividi possint. S. congr. respondit: In hoc Iubilaeo affirmative. Dub. XI. An, qui privilegio bullae Cruciatae gaudet, hoc tantum titulo, sine alia causa, in ieiuniis Iubilaei carnibus vesci possit? Dub. XII. An saltem vesci valeat ovis et lacticiniis? S. congr. respondit ad XI. et XII.: Permittitur ex speciali Sanctitatis suae indulto, ut ii, qui privilegio bullae Cruciatae legitime fruuntur, tantum ovis et lacticiniis in ieiuniis pro Iubilaeo praescriptis uti possint, servata in ceteris ieiunii ecclesiastici forma.

TITULUS XV.

DE MAIORITATE ET OBEDIENTIA.

Gregorius Papa XI.

Cap. I. Ecclesia s. Ioannis in Laterano de Urbe supremum locum teneat super omnes ecclesias Urbis et orbis.

Pius Papa V.

Cap. II. Confirmatur, quod ecclesia s. Ioannis in Laterano primatum super omnes, etiam super Vaticanam, obtinere debeat.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. III. Ut debitus honor matrici ecclesiae reddatur, tam ipsi fratres, quam alii clerici seculares, etiam super hoc apostolicae sedis privilegio muniti, die sabbathi maioris hebdomadae antequam campana cathedralis vel matricis ecclesiae pulsaverit, campanas in ecclesiis suis pulsare minime possint. (Est totus textus.)

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. IV. Episcopi dignitatem suam morum gravitate commendent; nec cum regum ministris, regulis aut baronibus indigna demissione se gerant.

Ex eodem.

Cap. V. In omnibus salva sedis apostolicae auctoritas remaneat.

Cap. I. Const., *Super universas*, §. I., dat. 3. Aug. 1372; in E. L. n. 1, I, 262.

Cap. II. Const., *Infirma aevi*, §. 1—4, dat. 21. Dec. 1569; in E. L. n. 94, II., 315. Bulla fuit in compendium redacta, quin tamen sensus eius mutatus sit.

Cap. III. Const., *Dum intra mentis*, §. 14., dat. 19. Dec. 1516; in E. L. n. 22, I, 582.

Cap. IV. Sess. XXV. de ref. c. 17.

Cap. V. Sess. XXV. de ref. c. 21.

Pius Papa V.

Cap. VI. Praecedentia congregationis Lateranensis canonicorum regularium o. s. Augustini cum monachis o. s. Benedicti congregationis Casinatensis declaratur. Abbates singuli dictarum congregationum iuxta antiquiorem promotionem praecedant.

Idem.

Cap. VII. Cosmus Medices, reipublicae Florentinae dux, eiusque successores magni duces creantur.

Gregorius Papa XIII.

Cap. VIII. Praecedentia in processionibus observanda inter ordines mendicantes et confraternitates laicorum declaratur.

Clemens Papa VIII.

a. *Gregoriana praedicta constitutio latius eo sensu declaratur, quod fratribus praedicatoribus o. s. Dominici in omnibus actibus et processionibus publicis et privatis post canonicos et clericos saeculares et antiquos ordines monachales praecedentia debeatur ante omnes reliquos religiosos tam mendicantes quam non mendicantes.*

Sixtus Papa V.

Cap. IX. Henricus III., Franciae rex, cum suis asseclis, ob incarcerationem cardinalis Bourbonii, sedis apostolicae legati, excommunicationi aliisque censuris obnoxius denuntiatur.

TITULUS XVI.

DE PACTIS.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Pacta et conventiones inter fratres et praelatos atque curatos pro tempore inita valeant, nisi per subsecutum capitulum proximum generale vel provinciale refutata, et per eos refutatio huiusmodi intimata debito tempore fuerit. (Est totus textus.) *

Cap. VI. Const., *Sedis apostolicae*, §. 4, princ. §. 5, dat. 24. Mart. 1564; in E. L. n. 85, II, 113. Bulla in libro nostro perperam Pio IV. tribuitur.

Cap. VII. Const., *Romanus pontifex*, §. 9, dat. 27. Aug. 1569; in E. L. n. 88, II, 307. Bulla in compendium redacta est.

Cap. VIII. Const., *Exposcit pastoralis*, §. 3, 4, dat. 15. Juli 1583; in E. L. n. 84, II, 501. *Pius V.* Const., *Divina*, dat. 27. Aug. 1568 (in E. L. n. 71, II, 285), fratribus praedicatoribus o. s. Dominici praecedentiam prae ceteris fratribus cuiuscunque ordinis mendicantium deberi constituit.

a. Const., *Inter cetera*, dat. 25. Sept. 1592; in E. L. n. 13, III, 17.

Cap. IX. Non exstat in bullariis.

Tit. XVI. Cap. I. Const., *Dum intra mentis*, §. 8 citata supra c. 2 de rescriptis I, 3.

* De pactis de non appellando in causis nullitatis matrimonii initis inter coniuges conf. infra sub cap. 3, g. de appellat. II, 9.

LIBER SECUNDUS.

TITULUS I.

DE IUDICIIS.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Episcopi et abbates non priventur, etiam in criminibus notoriis, nisi permissa prius defensione et causa plenarie probata.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. II. Causae episcoporum, cum pro criminis obiecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur.

Ex eodem.

Cap. III. Causae criminales contra episcopos maiores a solo summo pontifice, minores a concilio provinciali cognoscantur.

Pius Papa IV.

Cap. IV. Episcopi residentes ad comparendum in curia Romana per quoscunque iudices citati, non tenentur, nisi vigore specialis commissionis manu Romani pontificis signatae.

Benedictus Papa XIV.

a. *Ad sedem apostolicam privative pertinet, iudicium facere pro restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii in causis nullitatis professionis religiosae.*

Paulus Papa V.

b. *Causae regularium de haeresi suspectorum vel huius criminis reorum ab inquisitoribus h. pr. vel ordinariis locorum, non vero ab ordinum superioribus cognoscantur.*

Tit. I. Cap. I. Const., *Supernae dispositionis*, §. 8, dat. 21. Maii 1513; in E. L. n. 7, I, 544.

Cap. II. Sess. XIII. de ref. c. 8.

Cap. III. Sess. XXIV. de ref. c. 5.

Cap. IV. Const., *De salute gregis*, §. 3, dat. 4. Sept. 1560; in E. L. n. 10, II, 21.

a. Const., *Si datam*, dat. 8. Mart. 1748 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

b. Const., *Romanus Pontifex*, dat. 1. Sept. 1606; in E. L. n. 16, III, 238.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. V. Ratio tractandi causas ad forum ecclesiasticum pertinentes praescribitur.

Paulus Papa V.

c. *Declaratur, quod decretum praedictum concilii Tridentini (Sess. XXIV. de ref. c. 20) non pertineat ad regulares, ita ut neque quoad competentiam superiorum regularium neque quoad instantiam quidquam innovatum sit.*

Benedictus Papa XIV.

d. *Matrimonialium causarum iudicia coram quibus et quo ordine ac forma peragenda sint constituitur.* *

Gregorius Papa XVI.

e. *Processus in causis matrimonialibus quomodo conficiendi.*

Cum moneat glossa (in cap. fin. de frig. et malef.), in causis matrimonialibus omnem cautelam esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit Sanchez (de matrim. lib. 7. disp. 107) et Card. Argenvilliers (in dissert. matrimonii relat. inter vota Constantini P. 5. vol. ult. n. 16), plura hinc a sacris canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum iudicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quae coniugum malitia vel collusione saepe oriebantur, S. M. Bened. XIV. (in constit. „*Dei miseratione*“) processum conficiendum esse praecepit sub poena nullitatis omnium actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumulatis in causis huiusmodi omnium gravissimis, in quibus agitur de sacramenti validitate vel nullitate ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, iudices in proferendo iudicio tuti conquiescere possent. At quia saepe in hoc difficillimo processu acta minus recte et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, S. Congregatio saepius instructiones edidit ac normam praescripsit, quam episcopi sequerentur.

Cum itaque in huiusmodi causis non de iure alterutrius partis tantum, sed praecipue de sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta non ad instar aliorum iudiciorum, praesertim civilium, sed iuxta ss. canones, citatam S. M. Bened. XIV. constitutionem et praesentem instructionem erunt efformanda. Ea itaque non vernaculo sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; praesertim vero decreta, et sententia, quae iuxta priscos mores erit conficienda, latina lingua ex-

---

Cap. V. Sess. XXIV. de ref. c. 20.

c. Const., *Religiosorum*, dat. 24. Aug. 1607; in E. L. n. 34 III, 252.

d. Const., *Dei miseratione*, dat. 3. Nov. 1741 (Bullar. Bened. XIV. T. I.). * De ordine ac forma servando in causis nullitatis professionis religiosae conf. infra mm. de regularib. III, 19.

e. Instructio edita a s. congregatione concilii Trid. die 22. Augusti 1840 pro confectione processus in causis matrimonialibus; Archiv. XVI, 467.

rabuntur. Praeterea cum a sacro conc. Trid. (sess. 24. cap. 20. de ref. . ad haec), ac etiam a S. M. Bened. XIV. (in cit. constitut. „*Dei miseratione*“ . 4.) causarum matrimonialium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, on obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata ac episco- orum tantum examini et iurisdictioni reservata, etiam prae abbatibus vere Nullius, licet cardinalitia dignitate fulgentibus iuxta s. Congregationis re- olutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta rocessus per episcopum, vel per ecclesiasticam personam specialiter ab eo elegandam, conficiantur.

Hisce praemissis, quoties aliquis ex coniugibus instantiam in scriptis orriget super nullitate matrimonii, episcopus iudicem, si velit, delegabit, einde ipse vel iudex delegatus citari mandabit defensorem matrimonii, uatenus in curia episcopali iam deputatus existat, sin minus, idoneum irum deputabit iis qualitatibus praestantem, quas superius memorata con- titut. S. M. Benedicti XIV. requirit, eumque citari mandabit. Defensoris matrimonii erit, praefixa die accedere ad praestandum iuramentum, se munus suum diligenter et incorrupte expleturum et omnia voce ac scriptis educturum, quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre poterunt. Praeterea hic defensor matrimonii citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant. Ipsi, qui pro sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communi- anda, semper et quandocumque eius scripta erunt recipienda ac novi ter- mini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

Praefinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc Defensor matrimonii tradet interrogatoria clausa et obsignata cancellario seu notario, aperienda illo postulante ex iudicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit coniux instans pro nullitate. Iis ea addet etiam in actu examinis ex officio iudex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam, sive in declarationem responsionum datarum sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligen- dum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus coeteri omnes de re in- structi erunt examinandi.

Cum itaque advenerit statuta dies, pars nullitatem matrimonii allegans comparebit, ut supra dictum, coram iudice, adstante defensore matrimonii et cancellario. Iudex deferet parti examinandae iuramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a defensore matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones easque dictabit cancellario.

Interim dum pars erit examinanda, ipse cancellarius exscribet in pro- cessu primam interrogationem et deinceps singulas ex ordine, post quas scribet responsiones a iudice dictandas. Si quod interrogatorium, ut su- perius monitum est, addatur ex officio a iudice vel a defensore matri- monii, cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *inter- rogata ex officio;* et scripta interrogatione et responsione, reassumet

ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a defensione matrimonii.

Si examen una sessione absolvi non poterit, iudex illud suspendet ac destinabit etiam diem et horam pro reassumptione et prosecutione iisdem modo ac forma facienda, ut supra dictum est. Absoluto examine cancellarius leget clara et intelligibili voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem iudex deferat iuramentum eidem coniugi, se vera dixisse atque nunquam ante publicationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et si fuerit illiteratus per signum Cruſcis; dein iudex et defensor validitatis matrimonii apponet suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit.

Poterit pars examini subiecta, vel illico post examen vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam citato defensore matrimonii erit examinandus alter coniux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat interrogatus, et adstante defensore matrimonii super articulis ab altero propositis audietur.

Haec norma, quae data fuit pro instantis examine, servanda erit congrua congruis referendo in quovis alio examine.

Expleto examine illius coniugis, qui actor fuit in promovenda nullitatis querela, sequitur examen alterius coniugis, quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quae praescriptae fuerunt in praecedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis vel aliis additis vel novis confectis, prout defensor matrimonii in Domino censuerit.

Deinde procedendum erit ad examen *septimae manus,* hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam text. *(in cap. Litterae vestrae, de frig. et malef.).* Ut id facilius exequi iudex valeat, defensor matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine vel affinitate coniunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectura examinis seu confessionis coniugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis, ut propterea sibi verosimile sit ac credant, cum vera dixisse. Similiter instante defensore matrimonii citandus erit alter coniux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonae famae, qui ut supra dictum est deponant; seorsim erunt hi quatuordecim conflantes septimam manum examini subiiciendi designatis diebus et horis delato prius iuramento singulis. Defensor matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

Liberum erit coniugibus testes bonae famae ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim et methodo hactenus praescripta erunt examini subiiciendi.

Si alios etiam defensor matrimonii ex actis iam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subiiciantur. Si qui forsan

bsentes noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeant etiam b distantiae sumptus, vel ad partis instantiam vel, ea silente, ad instantiam defensoris matrimonii, erunt ab episcopo illius dioecesis, in qua morantur, examinandi iuxta interrogatoria ab eodem defensore conficienda c clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem episcopo altero doneo viro, qui praestet requisitis in bulla saepius laudata S. M. Bened. XIV. praescriptis quique expleat munus defensoris validitatis matrimonii et examini adsit.

Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt praesertim, quando initum fuerit matrimonium; utrum inter coniuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint, quamdiu in eadem domo vel civitate cohabitaverint, utrum innotuerit eos consummationi operam dedisse, an inde matrimonium consummatum censeretur, de causis consummationem impeditivis, de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti physici, quos coniuges consuluerunt.

Praeterea quatenus querela super nullitate ex iis sit, ut solvi possit matrimonium, si coniuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad inspectionem corporis coniugum seorsim sequenti methodo perficiendam, instante praesertim defensore matrimonii.

Iudex praefiget terminum tam utrique coniugi quam defensori matrimonii ad exhibendas notulas peritorum medicorum et chirurgorum confidentium et diffidentium pro utriusque coniugis inspectione, congrua congruis referendo.

Exhibitis notulis a partibus iudex eliget quinque peritos, tres scilicet medicos et duos chirurgos ex his, in quibus partes consentiant, sin minus ex officio eos, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, deputabit, atque curabit, ut deputatio cadat super celebrioribus civitatis tum quoad scientiam tum quoad religionem et honestatem, atque his peritis facultatem habit recognoscendi corpus viri adhibitis honestis mediis ad explorandam ipsius potentiam, nec non facultatem, quatenus non conveniant in prima inspectione, iterum accedendi. Atque in eodem decreto diem, horam et locum destinabit, in quibus periti accedent ut inspectionem perficiant.

Designata die et hora ad locum accedent iudex, defensor matrimonii, cancellarius ac periti. Singuli ex peritis ac seorsim corpus viri inspicient ea qua fieri poterit decentia et factis experimentis, quae iuxta artem, non tamen illicitis, opportuna iudicabunt, singuli scriptam emittent relationem.

In inspectione et relatione haec praecipue investiganda et referenda erunt.

An adsint signa physice certa impotentiae deducta ex conformatione partium, aut ex aliquo vitio, quod apparere poterit. An adsint signa, quae moralem certitudinem inducant impotentiae, et quatenus existant, quae sit huius impotentiae causa, utrum sit impotentia perpetua insanabilis ac praecedens matrimonium, an signa impotentiae sint dubia vel aequivoca.

Peracta relatione a singulis seorsim, defensor matrimonii exhibebit interrogatoria clausa et sigillata, super quibus fieri debet examen peritorum, sibique reservabit ius addendi alia interrogatoria ac iterum ea ad examen revocandi. Si examen singulorum peritorum eadem die perfici nequiverit, iudex aliam diem designabit, ut illud prosequatur. Uterque ex peritis tum ante examen iuramentum praestabit de veritate dicenda, tum post examen iuramento dicta confirmabit, sese propria manu subscribens, iudex, defensor validitatis matrimonii et cancellarius se subscribent, qui actum rogabit.

Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis mulieris. Iudex, ut supradictum est de peritis, tres saltem obstetrices deputabit, quae a duobus saltem peritis uno medico et altero chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendae de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione. Statuta autem huius inspectionis die mulier erit traducenda ad domum honestae matronae pariter a iudice deputandae pro infrascripta praestanda personali adsistentia, atque, adstantibus semper tribus obstetricibus et matrona, immergenda erit in balneo aquae tepentis a peritis prius recognoscendo, quod sit aquae purae; quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debebit: quo tempore transacto, adstantibus semper et praesentibus matrona et obstetricibus, statim, ne ullum spatium aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et praesente matrona; qua in re prospiciendum etiam, ut haec recognitio fiat tempore tantum diurno et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione huiusmodi utrum mulier virgo sit an violata et corrupta, adhibitis artis regulis exactius deprehendatur.

Iudex, defensor matrimonii et cancellarius cum peritis, ut supra, ad domum matronae accedent. Peracta hinc recognitione seorsim singulae obstetrices referent de virginitatis aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustri virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis praecise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quae clausa et obsignata exhibebit defensor validitatis matrimonii. Deinde formali examine erunt subiiciendi periti, quorum iudicium erit exquirendum super relatis et depositis ab obstetricibus. Tandem examen subire debebit quoque matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adsistentiam, servatis quoad examen iis omnibus, quae superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

Quatenus defensori matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam iudex prae sua diligentia assumendam, finis imponetur probationum collectioni, et publicabitur processus edito super hoc decreto a iudice, factisque subscriptionibus ab eo, a defensore matrimonii et a cancellario. Haec habenda methodus. Quae in actis continentur ne-

mini, nec ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus, erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto defensore matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit defensori matrimonii post processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore sacramenti, et numquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem iudicatam, ac reassumi causa possit etiam post initas novas nuptias a partibus iuxta constitut. saepius citatam *„Dei miseratione“*.

Omnibus absolutis et cum nil amplius deducendum censuerit defensor matrimonii, sententiam proferet episcopus.

Si haec matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit defensor matrimonii appellare iuxta citatam constitutionem, nec poterunt coniuges ad alia vota transire nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citata constitutione *„Dei miseratione“*. Deinde transmittenda erunt acta ab episcopo ad iudicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mercede cancellario.

Idem.

f. Processus iudicialis super nullitate s. ordinis subdiaconatus ex causa vis et metus, quomodo instruendus.

Processus iudicialis erit conficiendus iuxta constitutionis Benedicti XIV. „Si datam“ Mart. 1747 formam praescriptam, quae licet de regularibus reclamantibus nullitatem emissae professionis agat, ad affinem nihilominus hanc querelam nullitatis s. ordinationis ex s. sedis praxi, congrua tamen congruis referendo, extensa fuit.

Imprimis itaque deputandus erit a iudice defensor validitatis s. ordinationis, qui ad omnes et singulos actus citari atque audiri debebit. Hic interrogatoria exhibebit, super quibus, eo semper astante, sub formali examine et praevio iuramento rogandus erit N. N. de praeciso tempore susceptorum ordinum minorum et subdiaconatus, qua in aetate versaretur dum ad singulos fuit promotus, et quam modo aetatem agat; quo minarum genere aut incusso metu aut aperta vi coactus fuerit ad ecclesiasticam militiam amplectendam, et de passis iisdem minis in specie vel saevitiis, praesertim de tempore proximo cuilibet promotioni tam ad minores ordines quam ad subdiaconatum. Qui fuerint coactionis auctores, an pro sua indole capaces communiter reputarentur exequendi minas. Interrogandus erit N. N. de conquaestionibus ea de re, vel signis interni dissensus pansi tam ante quam in ipso actu et post receptos ordines, praesertim subdiaconatus, an et cui aperuerit suam contrariam voluntatem, et qualem

f. Instructio processus iudicialis edita a s. congregatione concilii Trid. anno 1838, super nullitate s. ordinis subdiaconatus ex causa vis et metus; Archiv. III, 596 sq. Exscripta fuit instructio ex libro literarum ab anno 1843 — 1847.

praecise interius habuerit animum in actu s. ordinationis. Utrum minores, et subdiaconatus ordinem unquam et quoties, quando et ubi exercuerit, et divinum officium recitaverit, an unquam contra ordinationem ex passa vi aut metu susceptam et eidem annexa onera, et coram quo extraiudicialiter vel iudicialiter reclamaverit, et unde factum ad haec usque tempora deseruerit. Denique rogandus erit idem, ut inducat testes consanguineos, etiam familiares et extraneos, qui de praemissis omnibus circumstantiis certiores esse possint, qui deinde formali examini erunt subiiciendi. Omnes vero adstante defensore s. ordinationis et ad eiusdem interrogatoria rogandi erunt de circumstantiis praemissis coactionis eiusque causis, quae ad eorum notitiam pervenerint, tum praesertim an N. N. dicti matrem noverint (accusata erat quod vi et metu filium ad s. ordines adegisset) et exploratam habuerint eius indolem et agendi rationem erga filios, utrum natura sua talis esset severitatis, ut merito timeri posset, ipsam minas executuram; an dictus N. N. pro sua natura esset tam pusillanimis, ut minis et saevitiis eiusdem deterreri posset, et in eum gravem metum incidere, qui constantem quemque virum deterruisset, an mater nequam doluerit, praesertim morti proxima, filium adegisse ad s. ordinationem.

Quidquid vero dictus N. N. deposuerit in examine suo, adhuc a testibus, quos magis instructos iudex reputaverit, erit inquirendum ac praeterea investigandum, utrum sciant, quod N. N. unquam exercuerit s. ordinem subdiaconatus vel ordines minores, recitationi divini officii vacaverit, quodque incesserit semper vel raro in habitu ecclesiastico. Si qui praeterea a testibus de re instructi indicati fuerint, eos etiam formali examini subiiciet iudex instante defensore s. ordinationis ac eadem methodo servata. Facultatem sibi reservabit iudex in quolibet examine, sive actorem sive testes ad novum examen revocandi. Rebus itaque omnibus ita expletis processum claudet iudex et ad definitionem causae procedet.

Pius Papa IX.

g. Praescribitur forma procedendi contra sollicitantes ad turpia in confessione iuxta constitutionem Benedicti XIV., „Sacramentum poenitentiae.“ *

Quae supremus pontifex gl. mem. Benedictus XIV. in constitutione die 1. Iunii edita, cuius initium est, ***Sacramentum poenitentiae***, confirmavit

g. Sanctae et universalis Inquisitionis instructio ad omnes archiepiscopos, episcopos aliosque locorum ordinarios circa observantiam constitutionis s. m. Benedicti XIV., quae incipit, ***Sacramentum poenitentiae***, data die 20. Februarii an. 1867, subscripta: C. Card. Patrizi. Const. Benedictinam citatam vide infra tit. de poenit. et remiss. V, 18.

* Constitutione Pii, IX. quae incipit,. ***Apostolicae sedis***, dat. 12. Octobr. 1869, excommunicantur excommunicatione latae sententiae non reservata qui ex negligentia vel omissione culpabili infra mensem non denunciant confessarios vel sacerdotes, a quibus in casibus expressis constitutione Gregorii XV. cuius initium, ***Universi***, dat. 20. Aug. 1622, nec non Const. Benedicti XIV., ***Sacramentum poenitentiae***, dat. 1. Junii 1741 fuerunt ad turpia sollicitati.

et decrevit, ea ad haec quatuor maxime capita reducuntur. In primis quemadmodum iam antea sancitum fuerat, praesertim a Gregorio XV. constitutione, quae sub die 30. Augusti anno 1622 data incipit, *Universi,* omnes locorum ordinarii aeque ac inquisitores deputantur iudices ad inquirendum et procedendum et condignis poenis animadvertendum contra sollicitantes ad turpia in confessione quamvis ab ordinaria iurisdictione quomodolibet exemptos. Itidem omnes sacerdotes ad audiendas sacras confessiones constituti, sicut antea quoque praescriptum erat, obligantur monere suos poenitentes, ut sollicitantes huiusmodi quam primum poterunt inquisitoribus aut locorum ordinariis deferant, eosdemque poenitentes non absolvere, qui huic adimplendo muneri parere recusent. Praeterea tertio loco apostolicae sedi reservantur, excepto mortis articulo, eorum casus qui innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant, vel sceleste procurant, ut id ab aliis fiat. Quarto denique sacerdoti cuilibet omnis facultas et iurisdictio ad sacramentales confessiones personae complicis in peccato turpi contra sextum decalogi praeceptum commisso excipiendas adimitur, nisi extrema prorsus urgeat necessitas, nimirum si in ipsius mortis articulo alter sacerdos desit qui confessarii munere fungatur vel sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo vocari aut accedere nequeat[1]. Et apostolicae sedi reservatur eorum casus, qui complicem in peccato turpi absolvere ausi fuerint.

Nullum sane dubium est, quin hae praescriptiones, prohibitiones, reservationes omnes et singulae in cunctas nationes universim vires suas extendant, et ubique terrarum inconcusse ac inviolabiliter observandae sint. Quod quidem vel legenti Gregorii XV. et Benedicti XIV. constitutiones evidentissime patet; et id ipsum consequentium pontificum suffragio, prout ac dedit occasio, ad hanc usque diem confirmatum est. Et re quidem vera vicario apostolico Cocincinae sciscitanti 1. *An constitutio Benedicti XIV. adversus sollicitantes obliget etiam missionarios Franciscanos, qui ministerium exercent in Cocincina?* 2. *An eadem constitutio restringi possit ac moderari in aliquo casu ob magnam confessariorum penuriam in eodem regno Cocincinae?* iussu Pii VI. anno 1775 opportuna instructione responsum fuit ad 1. Affirmative, ad 2. Negative. Et proxime SSmus D. N. Pius Papa IX. decreto huius supremae Inquisitionis sub feria IV, die 17. Iunii anno 1866 edixit, in facultatibus, quibus episcopi aliique locorum ordinarii ex concessione apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus apostolicae sedi reservatis, excipiendos semper in posterum et exceptos habendos esse casus reservatos in bulla Benedicti XIV., quae incipit, *Sacramentum poenitentiae.* Hoc decretum vero omnibus ubique terrarum ordinariis praedicta absolvendi facultate donatis absque ulla exceptione significandum mandavit. —

Quamobrem omnibus locorum ordinariis enitendum summopere est,

[1] Const. eiusdem s. P. Benedicti XIV., *Apostolici muneris,* dat. 8. Febr. 1745.

ne eorum vigor, quae in praedicta constitutione salubriter providentur, paulatim uspiam clanguecat. At Emmi p. p. cardinales supremi inquisitores nuper cognoverant, eamdem constitutionem non ubique, sicuti par esset, executioni tradi, atque in aliquibus locis nonnullos tum in denunciationis onere adimplendo tum in iudicio contra sollicitantes instituendo irrepsisse abusus, qui sine iustitiae ac providae severitatis discrimine tolerari minime possent. Itaque neque inopportunum neque ipsis locorum ordinariis ingratum fore iudicarunt, si quae contra eosdem abusus ab hac suprema congregatione ad tramites sacrorum canonum decreta fuerunt, in unum collecta prae oculis habeantur. Ad quem effectum praesentem instructionem edi mandarunt. I. Personae sive mares sive foeminae, quaecunque illae sunt, ad turpia sollicitatae in confessione vel occasione aut praetextu confessionis, quemadmodum enucleate in memorata constitutione praecipitur, rem ad sanctam sedem vel ad loci ordinarium deferre debent. II. Denunciare oportet quemcunque sacerdotem, etiam iurisdictione carentem, sollicitantem in confessione vel etiam poenitentis sollicitationi consentientem, quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem et non praebentem absolutionem [1]. III. Huiusmodi denunciationes a nemine absque culpa lethali omitti posse. Qua de re poenitentes debent admoneri, neque ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusat. IV. Sacerdotes ad sacras audiendas confessiones constituti, qui de hac obligatione poenitentes suos non admonent, debent puniri [2]. V. Poenitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolvi; qui vero ob iustam causam denunciationem differre debent eamque quo citius poterunt faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolvi. VI. Denunciationes anonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent; denunciationes enim fieri debent in iudicio, nempe coram episcopo eiusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum iuramento et cum expressione et subscriptione sui nominis; nec sufficit si fiat per apochas vel per literas sine nomine et cognomine auctoris [3]. Ceterum prohibetur, ne in recipiendis denunciationibus praeter iudicem et notarium, virum utrumque ecclesiasticum speciali et scripto exarata episcopi deputatione munitum, testes intersint. Cavendum quoque, ne ex denunciationibus [denunciantibus] quaeratur, num sollicitationi consenserint, et convenientissimum foret, si de huiusmodi consensu quantumvis sponte manifestato, nihil notetur [4]. VII. Denunciationis onus est personale et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum si gravissimis difficultatibus impediatur, quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se vel per epistolam vel per

---

[1] Ex declaratione diei 11. Febr. 1661 confirmata in const., *Sacramentum poenitentiae.*

[2] Ex declarat. sub diebus 20. Martii 1624 et 1. Octobr. 1626 penes Albitium de inconst. in fide, cap. 35. n. 17.

[3] Albit. l. c. n. 21.

[4] Ex declar. Urbani VIII. sub feria V. die 17. April. 1624.

aliam personam sibi benevisam suum adeat ordinarium vel sanctam sedem per sacram Poenitentiariam vel etiam per hanc supremam inquisitionem expositis omnibus circumstantiis, et deinde se gerat iuxta instructionem quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat iuxta consilia et monita sui confessarii. Ast si nullo impedimento detenta denunciationem omnino renuat, in hoc casu aliisque supra memoratis laudandus est confessarius, qui operam suam poenitenti non denegaverit et vel ordinarium vel sanctam sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen poenitentis nomine. Formulas autem hisce in casibus adhibendas tradunt probati auctores, quos inter Pignatelli consult. 104, Carena, Albitius etc. VIII. Non infrequenter occurrit casus, ut confessarius aliusque ecclesiasticus ab episcopo (quorum utique haec potestas est,) deputetur ad denunciationes recipiendas in re ad sollicitationis crimen spectante absque interventu notarii. Huic instructioni folium adiicitur circa modum, quo hisce in casibus confici denunciatio debet. Qui enim ad hoc gravissimum munus viri maxime idonei destinantur, de actu denunciationis iudiciaria ratione assumendo instrui debent ac moneri, ut statim a recepta denunciatione eam continuo ad episcopum, a quo fuerunt deputati, caute transmittant neque confecti actus exemplum vel vestigium aliquod sibi retineant. Atque in hunc fere modum haud difficulter denunciandi munus adimpletur. Profecto a locorum ordinariis efficiendum est, ne ad loca suae iurisdictioni subiecta applicare oporteat quod pro missionibus Pernambuci in America die 22. Ianuarii an. 1627 declaratum: *Mulieres videlicet sollicitatas non teneri ad denunciationem, si ministri Inquisitionis et vicarii episcopi in longinquis regionibus degentes sine gravi incommodo adiri nequeant.* IX. Si in denunciationibus, quod non raro contingit, aliae indicantur personae forte pariter sollicitatae, vel quae de hoc crimine testimonium ferre aliqua ratione possint, hae quoque omnes et seorsim iudiciaria forma superius enunciata examinandae sunt: et primo per *generalia,* deinde per gradus, quod ita res ferat ad *particularia* deveniendo interrogari debent, utrum et quomodo revera fuerint ipsae sollicitatae vel alias personas fuisse sollicitatas viderint vel audierint. X. Accepta denunciatione non illico proceditur, sed a superiore ecclesiastico inquiri sedulo debet, utrum persona denuncians sit fide digna. Sollicitationis crimen ut plurimum secreto perpetratur; hinc privilegium est, ut in causis, quae contra hoc crimen instituuntur, ad plenam probationem faciendam attestationes etiam singulares admittantur. At in memoratis summorum pontificum constitutionibus praescribitur, ne cum testibus singularibus procedatur, nisi praesumtiones, indicia et alia adminicula concurrant. Pondus igitur cuiusque denunciationis, qualitates et circumstantiae serio accurateque perpendendae sunt, et antequam contra denunciatum procedatur, perspectum exploratumque iudici esse debet, quod mulieres vel viri denunciantes sint boni nominis neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducantur. Oportet enim, ut testes huiusmodi singulares ab omnibus privatis affectionibus sint immunes, ut

ipsis integra fides haberi possit[1]. XI. Ea est huius supremae Inquisitionis consuetudo, ut post unam alteramve denunciationem rescribatur, quod denunciatus observetur, ita videlicet super delato crimine suspectus habeatur, ut quum primum per novas denunciationes res explorata erit, in iudicium vocandus sit. Ut plurimum non nisi a tertia denunciatione procedi solet. Ad formale examen vocantur parochi vel probatae fidei spectataeque virtutis viri praesertim ecclesiastici, qui cum iuramento de veritate dicenda et de secreto servando super qualitatibus denunciantium et denunciati et super mutuis eorum odiis et inimicitiis examinentur. Hisce peractis diligentiis reus in iudicium adducitur et coram iudice cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes agat, super singulis cuiusque denunciationis et examinis adiunctis iuramento dicendae veritatis obstrictus respondere debet. Cavetur sollertissime, ne denunciantium nomina reo manifestentur, et ne sacramentale sigillum quoquomodo violetur. XII. Quando perspecta evaserit patrati criminis veritas, reo ad defensionem, prout iura exposcunt, admisso, deveniendum erit ad illi interdicendum in perpetuum, ne confessiones excipiat, subtrahendo omnes et quascunque facultates ad id muneris eidem etiam per quodcunque privilegium vel ab ipsa sancta sede impertitas. Huiusmodi sententiam episcopus ipse, et non alius ab eo delegatus, proferat, et pro modo culpae atque omnibus attentis circumstantiis ceteras quoque poenas reo irroget, quae in supradictis pontificiis constitutionibus decernuntur. Praeterea si reus in iudicio crimen confessus fuerit, congruam debet emittere abiurationem, ut se ita purget ab ea, quam incurrit haeresis suspicionem, et hac quoque poena in ipsa sententia multetur. Notandum est, poenas huiusmodi omnes et ipsam inhabilitatem ad sacrosanctum missae sacrificium celebrandum in decreto Benedicti XIV. die 5. Augusti anno 1745 praescriptam esse tantum ferendae sententiae. Abstinendum tamen erit ab infligenda degradatione et traditione brachio saeculari. Id nimirum a Gregorio XV. statutum fuit; ceterum ad terrorem potius impositum haberi debet quam ut executioni mandetur[2]. XIII. Qui, nullis omnino super hoc crimine praeventi denunciationibus, conscientia victi ordinario loci eiusve delegato se sistunt, patrata a se sollicitationis flagitia sponte confitentur et veniam petunt, dimitti debent cum congrua abiuratione et poenitentiis dumtaxat salutaribus, adiecto consilio vel praecepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se abstineant, nec ceteris poenis antea dictis, accedentibus licet postmodum denunciationibus, afficiantur. Qui vero iudiciaria forma iam praeventi, sed nondum citati, sua sponte se sistunt, et ii pariter, quos veritatem non integram, sed diminutam in spontanea apparitione confessos esse ordinarius loci ex acceptis postea denunciationibus deprehenderit, beneficio impunitatis

---

[1] Ex instruct. iussu Pii VI. a. 1775 ad vicar. apost. Cocincinae data.

[2] Albit. op. cit. cap. 15 n. 13 et Bened. XIV. in privata epistola die 11. Novembr. anno 1743 ad Emanuelem de Azevedo s. J. presbyterum.

non gaudent, verumtamen pro ipsius ordinarii prudentia mitius puniantur. XIV. Quod in hisce causis vel ex commissione apostolica vel ex iure episcoporum proprio tractandis maiorem in modum curari et observari debet illud est, ut eaedem causae utpote ad fidem attinentes secretissime peragantur et postquam fuerint definitae et executioni iam traditae perpetuo silentio omnino premantur. Omnes curiae ecclesiasticae administri et quicunque alii ad has pertractandas vel patroni ad defendendas causas assumuntur, iusiurandum de secreto servando debent emittere, et ipsi episcopi aliique locorum ordinarii ad servandum secretum obstringuntur, prout in iure cautum est cap. *Statuta fin. de haereticis* in 6°, et in Clementinis, *multorum §. Porro, de haereticis.* Qui vero denunciationis oneri satisfaciunt quique in hisce causis examini subiiciuntur, iuramentum ab initio de veritate dicenda, et actu expleto de secreto servando tactis sacrosanctis Dei evangeliis, etiamsi sint sacerdotes, praestare tenentur. Haec si caute sancteque teneantur, nullum invidiae infamiaeque vel aliud quodvis periculum timeri potest, quod vel testes a dicenda veritate, vel competentes iudices ab investigando et condignis poenis animadvertendo sollicitationis crimine contineat. XV. Indultum fuit a Pio VI. in instructione, de qua antea dictum est, anno 1775 ad vicarium apostolicum Cocincinae data, ut, quum difficillimum sit in illis tam dissitis ac disparatis regionibus ea omnia ad amussim servare, quae in hisce causis servanda sunt, et quum, si aliqua ex his omittantur, iustitia non patiatur, ut poenae infligantur adversus reos, de quorum crimine iudiciaria ratione adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse esset, si extra iudicii ordinem procedatur ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos in casibus particularibus vicarii apostolici prudentia cum animarum zelo coniuncta suggeret. Iam vero quisque videt hanc indulgentiam pro locis adeo dissitis ac disparatis factam neque omnibus esse communem neque absque apostolicae sedis auctoritate iure posse ubivis induci. XVI. Ceterum si locorum ordinarii in conficiendis processibus vel etiam confecto processu in proferenda sententia contra sollicitantes ad turpia in confessione gravioribus involvantur difficultatibus, rem transmissis actis deferre poterunt ad hanc supremam congregationem, quae peculiares instructiones singulis casibus accommodatas, ut saepe fit, tradet, ac definitivam sententiam si expediens fuerit, ipsa proferet. Haec sunt, quae ad praedictam pontificiam constitutionem caute recteque exequendam conducunt quaeque, utpote ubique locorum observatu facilia, sacra haec congregatio supremae et universalis Inquisitionis pastorali ordinariorum zelo ac sollicitudini vehementer commendat. Datum Romae die 20. Februarii an. 1867. C. card. Patrizi. *

---

* Huic instructioni adiectus est sequens *„modus quo recipi debent denuntiationes in re ad sollicitationem spectante ab iis, qui ad denuntiationem aliquam absque interventu notarii recipiendum delegantur.“* Delegatus incipiet actum a notando die, mense, anno. Die . . . mensis . . . anno . . . Sponte personaliter comparuit coram me infrascripto

Benedictus Papa XIV.

h. Executiones citationum, mandatorum, aliarumque provisionum Romanae curiae non impediantur. Poenae in contravenientes statuuntur.

Pius Papa IX.

i. Excommunicationem summo pontifici reservatam ipso iure incurrunt impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive fori interni sive

---

sistente in (notabit locum, ubi reperitur ad actum recipiendum) ad hunc actum tantum ab Illmo. et Revmo. N. specialiter delegato prout ex eiusdem ordinarii literis mihi directis et datis sub die (exprimet quo die ipsi scriptae fuerint literae) praesenti positioni alligandis, N. N. (scribet nomen, cognomen, patrem, patriam, aetatem, conditionem et habitationem personae denuntiantis, et si haec religiosa fuerit, exprimet etiam nomen quo ea vocabatur in saeculo. Deinde prosequitur) cui delato iuramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis ss. Dei evangeliis (quae manu tangi faciet) exposuit prout infra, videlicet: = Hic persona denuncians vernaculo sermone declarare debet, se scire obtentam esse ab ordinario loci facultatem recipiendi absque interventu notarii quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, propterea quia iustis de causis eidem Revmo. antistiti se sistere nequit; deinde narrare continuo debet quae ad sollicitationes ei factas attinent seu verba fuerint seu scripta seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices et singula adiuncta, nec non utrum in actu confessionis an prius vel post sacramentalem absolutionem ea evenerint. Nominare debet confessionalem sedem et ipsum confessarium sollicitantem, et quatenus huius nomen et cognomen aut ignoret aut oblita fuerit, describet accurate illius personam omnes distincte characteres notando ita, ut ille recognosci possit. Animadvertat delegatus, non esse interrogandam personam denunciantem, utrum consensum ad actum turpem quocunque modo praestiterit vel recusaverit, quum ipsa ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce exscriptis prout narrantur, delegatus, quae sequuntur, neque aliud praeterea quidpiam requiret: = Interrogata: An sciat vel dici audierit, dictum N. N. (nominando per onam) confessarium sollicitasse alias poenitentes ad turpia? et quatenus etc. Respondit: (Notabit responsionem et si haec affirmative fuerit, nomen et cognomen personarum sollicitatarum exquiret et causam scientiae.). Interrogata: de fama supradicti confessarii N. N. tam apud se quam apud alios? et quatenus etc. Respondit: (Responsionem exscribet.) Interrogata: An odio vel amore praefata deposuerit et super inimicitia aliisque generalibus etc., et quatenus etc. Respondit: Recte (si ad propriam conscientiam exonerandam denunciasse se dicet). Si a sollicitatione plus uno mense praeterlapsum fuerit, erit etiam interroganda. Interrogata: Cur tamdiu distulerit praefata denunciare proprio ordinario et conscientiam suam exonerare? Respondit: (Notabit responsionem.) Actus claudatur hac ratione. Quibus habitis et acceptatis etc. dimissus (vel dimissa) fuit iuratus (vel iurata) de silentio servando ad novum tactum ss. Dei evangeliorum (super evangelium iterum iurabit) et in confirmationem praemissorum se subscripsit (Et si scribere nesciat) et cum scribere nesciret, prout asseruit, fecit signum crucis. (Crucis signum calamo faciendum ab eo exiget.) Postquam denuncians se subscripserit, aut crucis signum fecerit, subscribet se delegatus hoc modo: Acta sunt haec per me N. N. ab Illmo. et Revmo. antistite N. N. ut supra specialiter delegatum. Integrum deinde actum originalem directe ad proprium ordinarium delegantem transmittet una cum praesenti instructione et literis ei datis, nihil omnino apud se retinendo. — Cetera decreta ad crimen sollicitationis spectantia vide infra sub cap. V. sqq. de poenitentiis et remission. V, 18.

h. Const., *Pastoralis regiminis*, dat. 30. Mart. 1742 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

i. Const., *Apostolicae sedis*, dat. 12. Octobr. 1869.

externi, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.

TITULUS II.

DE FORO COMPETENTE.

Martinus Papa V.

Cap. I. Sub excommunicationis poena prohibetur, quominus personae ecclesiasticae ad forum saeculare trahantur.

Pius Papa IX.

a. *Excommunicatione ipso iure incurrenda et summo pontifici reservata plectuntur cogentes, directe vel indirecte, iudices laicos ad trahendum ad tribunal suum personas ecclesiasticas contra canonicas sanctiones.*

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. II. Quis privilegio fori gaudere debeat.

Benedictus Papa XIV.

b. *Distinguuntur causae rotales et praelaticiae. Nova methodus in auditorio Rotae observanda praescribitur. Notariorum iura in eiusmodi causis statuuntur.*

TITULUS III.

DE FERIIS.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Nuptiarum solemnitates certis temporibus prohibentur.

Ex eodem.

Cap. II. Conformentur regulares saecularibus in observatione festorum dioecesis.

Pius Papa V.

Cap. III. Festa omnia in omnibus observentur, diebusque festis mercatus et aliae profanae negotiationes prohibentur.

Tit. II. Cap. I. Const., *Ad reprimendas*, dat. 1. Februar. 1428, §. 1—4; in E. L. n. 10, I, 306.

a. Const., *Apostolicae sedis*, dat. 12. Octobr. 1869.
Cap. II. Sess. XXIII. de ref. c. 6.

b. Const., *Iustitiae et pacis*, dat. 9. Octobr. 1746 (in Bullar. Bened. XIV. T. II.).
Tit. III. Cap. I. Sess. XXIV. de ref. matrim. cap. 10.
Cap. II. Sess. XXV. de regular. c. 12.
Cap. III. Const., *Quum primum*, dat. 1. April. 1566; §. 7, in E. L. n. 5, II, 192.

Urbanus Papa VIII.

a. *Dies festi, qui ex praecepto ubique colendi sunt, enumerantur, videlicet: dominici dies totius anni, nativitatis D. N. Iesu Christi, circumcisionis, epiphaniae, resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, ascensionis, pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, sanctissimae trinitatis, solemnitatis corporis Christi et inventionis s. crucis, necnon festivitatum purificationis, annunciationis, assumptionis et nativitatis deiparae virginis, dedicationis s. Michaelis archangeli, nativitatis s. Ioannis Baptistae, ss. Petri et Pauli, s. Andreae, s. Iacobi, s. Ioannis, s. Thomae, s. Philippi et Iacobi, s. Bartholomaei, s. Matthaei, ss. Simonis et Iudae et s. Matthiae Christi Domini apostolorum. Item s. Stephani protomartyris, ss. Innocentium, s. Laurentii martyris, s. Sylvestri papae et confessoris, s. Iosephi etiam confessoris et s. Annae, deiparae respective sponsi ac genitricis, solemnitatis omnium sanctorum atque unius ex principalioribus patronis in quocunque regno sive provincia et alterius pariter principalioris in quacunque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit. — Caeteros vero dies festos, qui in singulis regnis, provinciis vel dioecesibus celebrantur, non ex praecepto colendos; episcopis vero a novis festis sub praecepto indicendis abstinendum esse declaratur. Item ordinariis antiquorum canonum observantia ad memoriam revocatur in concedendis licentiis laborandi diebus festis; quae licentiae nonnisi ad formam canonum gratis, libere et sine ullo prorsus pretio et pacto concedantur. Dies feriati circa iudicialia per hanc constitutionem nihil omnino immutantur.* *

Benedictus Papa XIV.

b. *Prohibetur, quominus libri aliaeque scripturae in lucem edantur, quibus de imminuendis diebus festivis de praecepto colendis, sive pro sive contra tractatur.*

Gregorius Papa XIII.

Cap. IV. Calendarium vetus aboletur; restitutum pro festivitatibus s. R. ecclesiae suo tempore celebrandis divinisque officiis recitandis approbatur et ubique adhibendum praecipitur.

---

a. Const., ***Universa per orbem***, dat. 20. Sept. 1642; in E. L. n. 291, V, 378.

* Propositio LXXIV. Synodi dioecesanae Pistoriensis, damnata a Pio VI. per constitutionem *Auctorem fidei*, dat. 28. Aug. 1794 ita sonat: LXXIV. Deliberatio synodi de transferendis in diem dominicum festis per annum institutis, idque pro iure, quod persuasum sibi esse ait episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et praeceptum missae audiendae abrogandi diebus, in quibus ex pristina ecclesiae lege viget etiam nunc id praeceptum; tum etiam in eo, quod superaddit de transferendis in Adventum episcopali auctoritate ieiuniis per annum ex ecclesiae praecepto servandis; quatenus adstruit, episcopo fas esse iure proprio transferre dies ab ecclesia praescriptos pro festis ieiuniisve celebrandis, aut inductum missae audiendae praeceptum abrogare: propositio falsa, iuris conciliorum generalium et summorum pontificum laesiva, scandalosa, schismati favens.

b. Const., ***Non mulli***, dat. 16. Nov. 1748 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).

Cap. IV. Const., *Inter gravissimas*, dat. 7. Novembr. 1582, §. 4—12; in E. L. n. 74, II, 488. Bulla in compendium redacta est.

TITULUS IV.

UT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETUR.

Pius Papa IV.

Cap. I. Qui lite pendente beneficia resignant vel iuri eorum cedunt, nihilominus ad omnia praestanda teneantur, ad quae ex iudicis sententia condemnati fuissent, si non resignassent vel cessissent.

TITULUS V.

DE SEQUESTRATIONE POSSESSIONIS ET FRUCTUUM.

Pius Papa V.

Cap. I. Fructus beneficiorum aliique proventus ac distributiones lite pendente deponantur apud personam idoneam a iudice eligendam, non obstantibus statutis quibuscunque.

TITULUS VI.

DE TESTIBUS.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Qualitates testium contra episcopum describuntur.

Clemens Papa X.

a. *Exhibetur instructio pro examinandis illis testibus, qui in causis contrahendorum matrimoniorum introducuntur, imprimis quando de statu libero agitur. Quae instructio in altera immediate sequenti latius declaratur.*

Pius Papa VII.

b. *Qui et quales testes vel probationes admitti possint ad probandum statum liberum coniugis, quum alterius coniugis mors ex authenticis documentis probari non possit. Instructio praedicta Clementina declaratur.*

Ingentes bellorum clades aliaeque rerum humanarum conversiones, quibus nostra aetas obiecta fuit, frequentes adhuc suppeditant Romae mulierum et quandoque virorum preces, qui legali documento mortis coniugis iamdiu absentis destituti, licentiam tamen sollicitant, qua sibi liceat ad

---

Tit. IV. Cap. I. Const., *Sanctissimus*, dat. a. 1560 (dies in bullario non est appositus), §. 2; in E. L. n. 17, II, 29. Textus aliquatenus immutatus est.

Tit. V. Cap. I. Const., *Cordi Nobis*, dat. 30. Mart. 1568, §. 2; in E. L. n. 57, II, 269.

Tit. VI. Cap. I. Sess. XIII. de ref. c. 7.

a. Decretum, *Quum alias*, dat. 21. Aug. 1670; in E. L. T. VI. p. 313.

b. Instructio s. Officii dat. 12. Iunii 1822; Archiv. XXII, 186.

alias nuptias transire. Iam vero sedes apostolica seu suprema Eminentissimorum Romanorum S. R. E. cardinalium ad haec deputatorum congregatio, ecclesiasticis regulis omnino insistit, ex quarum praescripto mors ex aliquot annorum decursu non praesumitur, sed probari debet. Unde Lucii III. responso (cap. Dominus, ext., de secundis nuptiis) a iure canonico cautum est, „ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare praesumat, donec constet, quod ab hac (vita) migraverit coniux eius.“ Qualis autem probationum ratio exigatur ex decreto: *Quum alias*, Clementis X. perpetuis temporibus valituro, lato fer. V., 21. Augusti 1670, in bullarium Romanum inserto, habetur, ubi s. pontifex instructionem ponit, tam in curia E. et R. cardinalis Urbis vicarii, quam in aliis curiis caeterorum ordinariorum servandam pro examine testium ad contrahenda matrimonia inductorum. Primo ergo authenticum ipsius obitus documentum exquiri debet, ubi haberi possit. Nam haec num. 10 et 11 praescribuntur. „Si (testis) responderit, contrahere volentes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos, interrogetur de loco et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse coniuges et esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore ecclesiae, in qua humata fuerunt cadavera; vel si fieri potest, a duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles. Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, sacra congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo sunt legitimae et sufficientes.“ Ex postremis hisce verbis habetur regula huius s. congregationis pro casibus, in quibus talia testimonia obitus authentica haberi non possunt, nempe, ut suppleri valeant aliis probationibus legitimis et sufficientibus. Harum praecipua exsurgit e dictis testium fide dignorum, de quibus sic in eadem instructione praecipitur: „Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei quam extranei, qui praesumuntur melius informati, et cives magis quam caeteri; ne admittantur homines vagi et milites, nisi data causa et maturo consilio.“ Ubi autem de persona testimonium ferente agitur, opportune praescribitur, ut „una cum persona testis alia compareat cognita notario, et quae attestatur de nomine et cognomine ipsius testis, necnon de idoneitate eiusdem ad testimonium ferendum.“ Verum in tantis, quibus saepe huiusmodi mortis probationes premuntur difficultatibus, s. congregatio nullam respuit, quae aliquid ad fidem faciendam valeat, ut perspicere possit, an pluribus quandoque concurrentibus, quae seorsim certitudinem sufficientem parere nequeunt, omnia tamen simul iuncta hanc efficiant. Hinc datur locus praesumtionibus et coniecturis, quibus testium dicta confirmentur, publicae vocis et famae ratio habetur. Certa facta authentica probata, quae mortem supponunt, expenduntur. Etiam contigit, ut testium fide dignorum probe informatorum dicta tempore non suspecto ab aliis percepta fuerint; testes autem immediate vel morte vel absentia aut alia de causa audiri nequeant,

habeantur vero dicta testium de alieno dicto deponentium, qui tamen omnibus pensatis prudenti mortis secutae iudicio satis esse censeantur. Iam vero, quum de re gravissima agatur (matrimonium enim de iure divino indissolubile esse, dogma fidei est, atque aliud matrimonium, priore coniuge vivente, esse non potest), s. congregatio singulos casus expendit, auditis plurium theologorum et iurisprudentium suffragiis, iudicium denique suum pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet, quominus petenti transitus ad alia vota concedi possit.

Urbanus Papa VIII.

c. *Assertionis scriptorum et aliorum quoruncunque, imprimis quando indulta et privilegia sedis apostolicae concessa dicuntur, non faciunt fidem, nisi originalium exhibitione probantur.*

Benedictus Papa XIV.

d. *In causis criminis sollicitationis ad turpia in confessione commissi, ad plenam probationem faciendam etiam cum singularibus testibus procedi potest, dummodo praesumtiones, indicia et alia adminicula concurrant.*

TITULUS VII.

DE IUREIURANDO.

Gregorius Papa XIII.

Cap. I. Canonicae sanctiones de abusu et reprobatione iuramenti innovantur. Contra iurantes impossibilia, damnosa, ecclesiasticae libertati et concilii Tridentini decretis contraria poenae statuuntur.

Sixtus Papa V.

Cap. II. Episcopi aliique ecclesiarum antistites in promotione ante consecrationem, seu iam consecrati, ante pallii traditionem, in translatione vero antequam translati ecclesiae regimini vel administrationi se immisceant, iurare debent, se statutis temporibus limina apostolorum visitaturos et Romano pontifici de pastorali officio rationem reddituros esse. Quod si legitimo impedimento detenti fuerint (quod per legitimas probationes docere debent), iurent se praedicta omnia adimpleturos per certum nuncium ad id speciale mandatum habentem et de statu ecclesiae plene edoctum. Episcopi Italiae vel adiacentium insularum ac etiam Dalmatiae et Graeciae tertio quoque anno, Germani, Galli, Hispani, Belgae, Bohemi, Ungari, Poloni, Angli, Scoti,

---

c. Const., *In supremo*, dat. 1. Iunii 1635; in E. L. n. 31, IV, 45 in appendice.

d. Const., *Sacramentum poenitentiae*, dat. 30. Iunii 1741 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

Tit. VII. Cap. I. Const., *Inter apostolicas*, dat. 5. Sept. 1584, §. 2—4; in E. L. n. 93, II, 513. Vide supra sub. cap. 5, g. de iudiciis II, 1.

Cap. II. Const., *Romanus pontifex*, dat. 20. Nov. 1585, §. 3—8; in E. L. n. 15. II, 551 sq. Bulla partim in compendium redacta est, quin tamen sensus mutatus evaserit.

Iberni et caeteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum et Balticum, quarto, qui intra Europae fines sunt his provinciis remotiores, ac etiam Africani litoribus Italiae adversis, quinto, Asiatici vero et qui extra Asiam, et in aliis novis terris in quibus libet mundi partibus decimo quoque anno, hoc iter suscipiant. Poenae in contravenientes statuuntur.

Benedictus Papa XIV.

a. *Constitutio praedicta Sixtina ad abbates aliosque praelatos inferiores iurisdictionem quasi episcopalem et territorium separatum habentes extenditur, ita ut et ipsi, antequam monasteriorum vel ecclesiarum regimen vel administrationem suscipiant, iurare teneantur, se praefixo tempore limina apostolorum visitaturos et relationem status ecclesiarum facturos esse. Adiicitur formula iuramenti quod praelati eiusmodi praestare debent.*

Idem.

b. *Congregatio particularis nonnullorum Romanae curiae praelatorum, congregationi cardinalium concilii Tridentini interpretum adiectae, constituitur pro excipiendis examinandisque relationibus episcoporum aliorumque praelatorum super statibus ecclesiarum factis. Munus eiusdem congregationis describitur.*

Benedictus Papa XIII.

c. *Exhibetur instructio auctoritate Benedicti XIII. a sacra congregatione concilii Tridentini exarata pro episcopis aliisque praelatis super modo conficiendi relationes statuum suarum ecclesiarum, quas occasione visitationis sacrorum liminum eidem congregationi exhibere tenentur.*

TITULUS VIII.

DE SENTENTIA ET RE IUDICATA.

Pius Papa V.

Cap. I. Omnes gratiae in causis haeresis quandocunque a summis pontificibus factae revocantur. Sententias a quibuscunque iudicibus latas contra stylum vel dispositionem s. Inquisitionis in favorem reorum de haeresi inquisitorum non transire in rem iudicatam constituitur, atque inquisitoribus causas huiusmodi decisas revidendi potestas tribuitur.

Benedictus Papa XIV.

a. *Bina etiam sententia nullitatis matrimonii ob cuiuscunque temporis lapsum nunquam transit in rem iudicatam, ac reassumi causa potest etiam post novas a partibus initas nuptias.*

---

a. Const., *Quod sancta*, dat. 23. Nov. 1740 (in Bullar. Bened. XIV. T. I.).

b. Const., *Decet Romanum*, dat. 20. Nov. 1740 (in Bullar. Bened. XIV., T. I.).

c. Instructio exstat in bullario Benedicti XIV. T. I. in appendice; legitur etiam in concilio Romano a 1725, in appendice p. 114 sqq.

Tit. VIII. Cap. I. Const., *Inter multiplices*, dat. 21. Dec. 1566, §. 1—3; in E. L. n. 22, II, 214.

a. Const., *Dei miseratione*, dat. 3. Nov. 1741 (in Bullar. Bened. XIV. T. I.).

TITULUS IX.

DE APPELLATIONIBUS.

Iulius Papa III.

Cap. I. Instantiae et fatalia causarum in curia Romana pendentium non currunt sede apostolica vacante.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. II. Acta primae instantiae intra triginta dies dentur gratis reo appellanti.

Ex eodem.

Cap. III. Innovatur cap., *Romana,* de appellationibus in Sexto.

Clemens Papa VIII.

a. Ad tollendas ambiguitates et controversias, quae inter appellationum et prioris instantiae iudices oriuntur, regulae generales de appellationibus vel inhibitionibus admittendis vel reiiciendis constituuntur.

Ad tollendas ambiguitates et controversias iurisdictionales, quae inter appellationum et prioris instantiae iudices, non sine partium dispendio cursusque iustitiae impedimento, et saepe cum scandalo oriuntur, sacra congregatio causis episcoporum praeposita, facta prius relatione SS. D. N. Clementi Papae VIII. ac de Sanctitatis Suae mandato, vivae vocis oraculo desuper habito, in hunc, qui sequitur modum ab omnibus, ad quos spectat, in posterum fieri ac servari debere mandavit et mandat. I. Metropolitani, archiepiscopi, primates aut patriarchae in suffraganeos eorumve subditos non iudicent, nisi in casibus a iure expressis. II. Item nec alii superiores, etiam nuncii, vel legati de latere, specificam facultatem maiorem non habentes, causas in curiis ordinariorum vel aliorum inferiorum iudicum pendentes ad se advocent, nisi per viam legitimae appellationis ad ipsorum tribunalia deferantur; tuncque appellantes ab inferiorum iurisdictionibus quoad alias causas eximere non possint. III. Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta quae realiter exhibeantur, prius constiterit, appellationem a sententia definitiva vel habente vim definitivae, aut a gravamine, quod per definitivam sententiam reparari non possit, in casibus a iure non prohibitis, per legitimam personam et intra debita

---

Tit. IX. Cap. I. Const., *Mentis et intentionis;* annus editionis non legitur. In editione a. MDXXXVI. num. 23, in aliis bullariis non exstat. In textu bullarii vis constitutionis nonnisi ad tempus sedis morte praedecessoris vacantis refertur.

Cap. II. Sess. XIII. de ref. c. 3. Conf. Pii V. const., *Inter illa,* dat. 20. Nov. 1570; in E. L. II, 340, qua statuitur, quando et quomodo appellationes a sententiis extra curiam latis recipi debeant.

Cap. III. Sess. XXII. de ref. c. 7.

a. Decreta s. congregationis episcoporum de mandato Clementis VIII. lata die 16. Octobr. 1600. Exstant in appendice concilii Romani a. 1725 celebrati (Romae 1725) n. XIII. p. 120.

tempora fuisse interpositam ac prosequutam. IV. Nec, dum causa coram inferioribus iudicibus pendet, ante definitivam sententiam vel vim definitivae habentem de gravamine illato superiores cognoscere valeant, licet citra praeiudicium cursus causarum se id facere contestentur; nec ad hunc effectum liceat eis inhibere aut simpliciter mandare, ut ipsis copia processus transmittatur, etiam expensis appellantis. V. Inhibitiones post appellationem, sicut praemittitur, receptam, non concedantur, nisi cum inscriptione tenoris sententiae, aut decreti definitivi habentis, vel damnum per definitivam irreparabile continentis; alias inhibitiones et processus, et inde sequuta quaecunque, sint ipso iure nulla, eisque impune non parere liceat. VI. Si appellans asserat, sententiae aut appellationis exemplum, culpa iudicis a quo, vel actuarii, haberi non posse, non ideo recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda; sed eis tantum, ad quos pertinet, iniungi poterit, ut, soluta condigna mercede actorum, exemplum authenticum appellanti intra brevem aliquem competentem terminum tradatur. Caveat tamen iudex a quo, ne, si vere appellatum fuerit in casu appellabili, interim aliquid in praeiudicium appellantis attentet; et si per actum publicum aut per testium depositionem constiterit, acta denegari appellanti, tunc mandato tradendi acta possit iudex appellationis adiicere, ne interim aliquid novi contra appellantem attentetur. VII. Ab exequutione decretorum sac. concilii Tridentini aut visitationis apostolicae appellationes a metropolitanis non recipiantur, nec si episcopi virtute eiusdem sacri concilii procedunt uti sedis apostolicae delegati in causis, quae sub eorum iurisdictione ordinaria non comprehenduntur, salva tamen in hoc casu legatorum et nunciorum apostolicorum auctoritate. VIII. In causis vero visitationis ordinariorum aut correctionis morum, quoad effectum devolutivum tantum admittantur, nisi de gravamine per definitivam irreparabili agatur, vel cum visitator, citata parte et adhibita causae cognitione, iudicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum suspensivum. IX. Cum a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, ut indebitae carcerationis vel torturae aut excommunicationis, etiam comminatae, appellatur, nonnisi visis actis, ex quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio vel provisio aliqua concedatur. X. Causa appellationi spendente appellans in eodem, quo reperitur carcere, permanebit, quoad iudex, ad quem appellatum est, visis actis et causa cognita, aliter decreverit: et tunc si a iudicis ad quem decreto vim definitivae habente fuerit appellatum, nihil mandare aut pro sui decreti exequutione attentare poterit, donec per iudicem superiorem aliud fuerit ordinatum. XI. Acta originalia processus primae instantiae ad iudicem appellationis notarius mittere non cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa et suspicio incidat, quae iudicialiter obiiciatur; et tunc, terminata causa, remittenda sunt ad ordinarium, ut in suo archivo conserventur. XII. Censura ecclesiastica in appellantem prolata, relaxari aut nulla declarari per iudicem appellationis non possit, nisi auditis partibus et causa

cognita; tuncque, si constiterit eam iustam esse, ad iudicem, qui excommunicavit, appellans remittendus est, ut ab ipso iuxta sacros canones beneficium absolutionis, si humiliter petierit debitamque emendationem praestiterit, obtineat: si vero iniustam esse clare appareat, superior absolutionem impendat; si dubitetur, honestius est ut ad excommunicatorem intra brevem aliquem competentem terminum eidem praefigendum absolvendus remittatur, licet etiam superior hoc casu idipsum per se praestare iure possit. XIII. Absolutio ad cautelam nonnisi parte citata et visis actis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis ab homine prolatae vel a iure, si occurrat dubium facti vel probabile dubium iuris, concedenda erit; tuncque ad tempus breve cum reincidentia et praestita per excommunicatum cautione de stando iuri et parendo mandatis ecclesiae tantum; et si iuxta formam a iure praescriptam apparebit, quem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem praestare, et si ob contumaciam manifestam, expensis pariter satisfacere et cavere de iudicio sisti coram excommunicatore is tenebitur, priusquam ad cautelam absolvatur. XIV. A sententia etiam definitiva contra verum contumacem prolata appellatio non recipiatur nec inhibitio aut alia quaevis provisio, quamdiu appellans in huiusmodi vera contumacia perstiterit, concedatur. Romae in sacra congregatione die 16. Octobris 1600.

Urbanus Papa VIII.

b. *Resolvuntur nonnulla dubia super appellationibus et inhibitionibus tribunalis auditoris Camerae et aliorum tribunalium curiae Romanae in praeiudicium nunciorum, episcoporum ac superiorum regularium.*

Benedictus Papa XIII.

c. *Decreta praedicta Clementis VIII. et Urbani VIII. de appellationibus et inhibitoriis declarantur.*

Benedictus Papa XIV.

d. *Appellationes et inhibitiones quando concedendae vel denegandae sint. Singulae causae et negotia enumerantur, in quibus a tribunalibus superioribus appellationes cum inhibitionibus contra episcopi decreta concedi nefas est, id quod generatim obtinet in omnibus illis causis, in quibus ordinariis per concilium Tridentinum vel apostolicas constitutiones, sive de iure ordinario, sive tanquam delegatis sedis apostolicae, executio mandata est, appellatione remota. Causae omnes tam civiles quam criminales ad forum ecclesiasticum pertinentes, exceptis privilegiatis, coram ordinariis in prima instantia cognoscantur, neque avocentur, vel aliis iudicibus committantur, nisi per viam legitimae appellationis. Quid iudici superiori circa recipiendas appellationes vel gravamina incumbat.*

---

b. Urbani decreta a 1625 edita; l. c. p. 122.

c. Declarationes super quibusdam ex allatis decretis a. 1725 datae, l. c. p. 123.

d. Const., *Ad militantis ecclesiae*, dat. 30. Mart. 1742 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

Idem.

e. Defensor matrimonii, sententia in prima instantia pro nullitate matrimonii lata, parti appellanti adhaerere, vel si nullus appellet, ipse appellare teneatur, atque ita deinceps eo usque, ut duae saltem sententiae penitus conformes emanaverint.

Idem.

f. Defensor professionis religiosae, sententia in prima instantia pro nullitate professionis lata, appellare omnino debet, atque ita deinceps eo usque, ut duae saltem sententiae penitus conformes emanaverint.

Idem.

g. Pacta inter coniuges inita de non appellando a sententia pro matrimonii nullitate lata damnantur et invalida declarantur. Coniuges eiusmodi pacta observantes vel iudices eadem executioni demandantes excommunicantur.

---

e. Const., ***Dei miseratione***, dat. 3. Nov. 1741 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).
f. Const., ***Si datam***, dat. 8. Martii 1748 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).
g. Const., ***Nimiam licentiam***, dat. 18. Maii 1743 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER TERTIUS.

TITULUS I.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM. *

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Clerici incontinenter viventes, severe iuxta iuris censuram puniantur.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. II. Episcoporum est subditos, praesertim ad animarum curam constitutos, admonere officii sui.

Ex eodem.

Cap. III. Poena decernitur in clericos, qui in sacris constituti aut beneficia possidentes ordini suo congruenti veste non utuntur. **

Benedictus Papa XIII.

a. *Locorum ordinariis praescribitur norma procedendi contra clericos beneficiatos in habitu laicali incedentes; beneficiati huiusmodi etiam beneficiis privari possunt; fructus non faciunt suos et ipso iure ad restitutionem tenentur.*

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. IV. Decreta de vita et honestate clericorum.

Ex eodem.

Cap. V. Cardinales et omnes ecclesiarum praelati modestam suppellectilem et mensam habeant. Consanguineos familiaresve suos ex bonis ecclesiae non augeant.

---

* Conferatur supra tit. de officio ordinarii I, 14.

Tit. I. Cap. I. Const., *Super dispositionis*, dat. 21. Mai 1514, §. 34; in E. L. n. 7, II, 97.

Cap. II. Sess. XIV. de ref., prooemium omissa parte ultima.

Cap. III. Sess. XIV. de ref. c. 6. ** In const., *Quum sacrosanctum*, dat. 9. Jan. 1589 (n. 92, II, 712), habitus et tonsura clericorum et militum beneficia ecclesiastica obtinentium praescribitur, et poenae contra inobedientes constituuntur.

a. Const., *Catholicae ecclesiae*, dat. 2. Mai. 1725, in appendice concilii Romani a. 1725 celebrati, p. 77 sqq.

Cap. IV. Sess. XXII. de ref. c. 1.

Cap. V. Sess. XXV. de ref. c. 1.

TITULUS II.

DE COHABITATIONE CLERICORUM ET MULIERUM.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Praescribitur ratio procedendi in causis clericorum concubinariorum.

TITULUS III.

DE CLERICIS CONIUGATIS.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Quando clerici coniugati privilegio fori gaudeant.

TITULUS IV.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Iuris antiqui poenae in praelatos non residentes innovantur et novae decernuntur.

Ex eodem.

Cap. II. Nulli beneficium exigens personalem residentiam obtinenti abesse licet, nisi iusta de causa ab episcopo approbanda, qui tum etiam vicarium subducta parte fructuum substituat ob curam animarum.

Ex eodem.

Cap. III. Rectorum ecclesiarum in residendo negligentia varie coercetur; animarum curae providetur.

Ex eodem.

Cap. IV. Ratio distributiones quotidianas augendi praescribitur; quibus debeantur; non servientium contumacia punitur.

Ex eodem.

Cap. V. Statuendae distributiones quotidianae ex tertia parte quorumcunque fructuum; portio absentium quibus cedat; certi casus excepti.

Tit. II. Cap. I. Sess. XXV. de ref. c. 14.

Tit. III. Cap. I. Sess. XXIII. de ref. c. 6.

Tit. IV. Cap. I. Sess. VI. de ref. c. 1. §. Placuit.

Cap. II. Sess. VI. de ref. c. 2.

Cap. III. Sess. XXIII. de ref. c. 1. De obligatione parochorum celebrandi et applicandi missae sacrificium pro populo dominicis diebus et festivis vide infra c. f. g. de celebratione missarum III, 23.

Cap. IV. Sess. XXI. de ref. c. 3.

Cap. V. Sess. XXII. de ref. c. 3.

Ex eodem.

Cap. VI. Quid promoti ad dignitates et canonicatus cathedralium praestare teneantur.

Urbanus Papa VIII.

a. *Plures constitutiones apostolicae post celebratum concilium Tridentinum editae recensentur, quibus sub gravibus poenis residentia praelatorum maiorum, etiam S. R. E. cardinalium praescribitur. Praelatis praecipitur, ne sine licentia summi pontificis ab ecclesiis suis discedant, statutis gravissimis poenis in contravenientes. Episcopis citra montes vel mare degentibus quatuor mensium, ultra vero montes vel mare constitutis, septem mensium absentia pro visitatione liminum apostolorum facienda conceditur. Cardinales a suis ecclesiis pro eligendo summo pontifice prius non discedant, quam certam notitiam vacationis sedis apostolicae habuerint. Celebrata electione vel coronatione Romani pontificis post duos menses ad sedes ecclesiarum suarum revertantur, poenis in negligentes statutis.*

Benedictus Papa XIV.

b. *Confirmantur praedecessorum Romanorum pontificum de residentia decreta. Congregatio super residentia episcoporum ab Urbano VIII. instituta denuo in usum revocatur, deque causis absentiae legitimis vel illegitimis plura exponuntur. Episcopi recens in Urbe promoti pro negotiis expediendis unum mensem post ipsorum propositionem in consistorio in Urbe commorari possunt; qui terminus, necessitate exigente, ad alios quadraginta dies prorogari potest.*

Idem.

c. *Canonici in choro non solum assistere, sed et canere et psallere tenentur. Quod nisi praestiterint, fructus non faciunt suos.*

Pius Papa V.

Cap. VII. Indulta omnia circa residentiam rectorum ecclesiarum parochialium concessa revocantur. Rectores ecclesiarum huiusmodi, quamvis canonicatum vel dignitatem quamcunque in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis obtineant, ad residendum in ecclesia parochiali et debito suo officio fungendum omnino obligantur, quum prima et praecipua debeat esse cura animarum. In contravenientes ordinarii censuris aliisque poenis procedant. Residentes vero fructus aliunde ex beneficio vel canonicatu provenientes percipere possunt.

Cap. VI. Sess. XXIV. de ref. c. 12. §. Praeterea.
a. Const., *Sancta synodus*, dat. 12. Dec. 1634; in E. L. T. IV. p. 41 in append.
b. Const., *Ad universae*, dat. 3. Sept. 1746 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).
c. Const., *Praeclara decora*, dat. 29. Ian. 1748 (Bullar. Bened. XIV. T. III. in append.).
Cap. VII. Const., *Cupientes*, dat. 13. Iul. 1568, §. 1; in E. L. n. 65, II, 279.

TITULUS V.

DE PRAEBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Dignitates maiores, beneficia parochialia aliaque CC ducatorum valorem non excedentia cardinalibus non commendentur. Beneficia absque rationabili causa nec separentur nec uniantur.

Pius Papa IV.

Cap. II. Iudices ferentes sententiam privationis beneficiorum neque ipsi beneficia huiusmodi vacantia impetrare possunt, neque propinquis iudicum conferri fas est.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. III. Tenentes plures cathedrales ecclesias iubentur omnes, excepta una, dimittere certo modo et tempore.

Ex eodem.

Cap. IV. Plurium beneficiorum contra canones retentor iis privatur.

Ex eodem.

Cap. V. Beneficia unius dioecesis nulla de causa uniantur beneficiis alterius.

Ex eodem.

Cap. VI. Regularia beneficia regularibus conferantur.

Benedictus Papa XIV.

a. Canonici regulares absque indulto apostolico incapaces sunt cuiuslibet beneficii saecularis aut pensionis ecclesiasticae.

Idem.

b. Canonicis regularibus Praemonstratensibus conceditur privilegium assequendi et retinendi quascunque parochiales ecclesias vel vicarias, etiam saeculares, absque dispensatione apostolica.

Innocentius Papa XI.

c. Clerici saeculares in communi viventes declarantur capaces ad obtinenda vel retinenda beneficia, dummodo obligationibus beneficio annexis satisfaciant.

Tit. V. Cap. I. Const., *Supernae dispositionis*, dat. 21. Mart. 1514, §. 12—14; in E. L. n. 7, II, 97.

Cap. II. Const., *Cupientes unicuique*, dat. 18. Oct. 1560, §. 1; in E. L. n. 14, II, 24.

Cap. III. Sess. VII. de ref. c. 2.

Cap. IV. Sess. VII. de ref. c. 4.

Cap. V. Sess. XIV. de ref. c. 9.

Cap. VI. Sess. XIV. de ref. c. 10.

a. Const. *Quod inscrutabili*, dat. 5. Iuli 1745 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

b. Const., *Oneroso*, dat. 7. Sept. 1750 (Bullar. Bened. XIV. T. III.).

c. Const., *Prospero felicique*, dat. 9. Febr. 1685, in E. L. n. 18, VII, 49.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. VII. Possunt episcopi facere uniones perpetuas in casibus a iure permissis.

Ex eodem.

Cap. VIII. Quomodo tenuioribus cathedralibus ecclesiis et parochiis consulendum. Parochiae certis finibus distinguendae.

Ex eodem.

Cap. IX. Ratio augendi tenues praebendas ecclesiarum cathedralium et collegiatarum insignium.

Ex eodem.

Cap. X. Beneficiorum collationi et plurium retentioni modus statuitur.

Ex eodem.

Cap. XI. Rebus bene constitutis et annexum onus habentibus nihil detrahatur.

Ex eodem.

Cap. XII. Beneficia curata non convertantur in simplicia. Ei, in quem translata fuerit cura animarum, assignetur congrua portio. Vicariae cessent cura ad titulos revocata.

Pius Papa V.

Cap. XIII. Beneficia quaecunque, cum cura et sine cura, saecularia et regularia, etiam canonicatus et dignitates, propter haeresim vacantia reservantur. Impetrationes de beneficiis non censentur comprehendere beneficia propter haeresim vacantia, nisi specialiter vacationis modus propter haeresim expressus fuerit.

Idem.

Cap. XIV. Praeposituraе aliaque beneficia ordinis fratrum Humiliotarum a summo pontifice extincti s. sedi reservantur.

Gregorius Papa XIII.

Cap. XV. Beneficiorum quaecunque dispositiones factae a sede apostolica, legatis apostolicis aliisque legitimis collatoribus in personas propter genus aut haeresim et a fide apostasiam infectas, nullae sint et invalidae, atque beneficia huiusmodi sedi apostolicae reservantur.

Cap. VII. Sess. XXI. de ref. c. 5.

Cap. VIII. Sess. XXIV. de ref. c. 13.

Cap. IX. Sess. XXIV. de ref. c. 15.

Cap. X. Sess. XXIV. de ref. c. 17.

Cap. XI. Sess. XXV. de ref. c. 5.

Cap. XII. Sess. XXV. de ref. c. 16.

Cap. XIII. Const., *Quum ex apostolatu*, dat. 27. Ian. 1567, §. 1, 2; in E. L. n. 29, II, 227.

Cap. XIV. Const., *Quoniam per extinctionem*, dat. 8. Febr. 1571, §. 9; in E. L. n. 70, II, 353.

Cap. XV. Const., *In ecclesiis*, dat. 13. Nov. 1580, §. 1, 2; in E. L. n. 66, II, 480.

TITULUS VI.

DE CONCESSIONE PRAEBENDAE ET ECCLESIAE NON VACANTIS.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Speciales reservationes quorumcunque beneficiorum ad cuiusvis instantiam minime concedantur.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. II. Mandata de providendo, exspectativae et aliae id genus antiquantur.

Ex eodem.

Cap. III. Accessus et regressus ad beneficia tolluntur. Coadiutor quomodo, cui et ex qua causa concedendus.

TITULUS VII.

NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR.

Ex generali concilio Tridentino.

CAP. I. Sede vacante capitula nulli dent reverendas nisi arctato occasione obtinendi vel obtenti beneficii; variae contravenientium poenae.

Ex eodem.

Cap. II. Poenae statuuntur iis, qui sede vacante a capitulo literas dimissorias impetrant.

Ex eodem.

Cap. III. Quid muneris incumbat capitulo sede vacante. *

Pius Papa IX.

a. Nulla est electio vicarii generalis facta vivente episcopo et a sede sua turpiter eiecto.

Tit. VI. Cap. I. Const., *Supernae dispositionis*, dat. 21. Martii 1514, §. 15 in fine; in E. L. n. 17, II, 97.

Cap. II. Sess. XXIV. de ref. c. 19.

Cap. III. Sess. XXV. de ref. c. 7.

Tit. VII. Cap. I. Sess. VII. de ref. c. 10. §. Poenam.

Cap. II. Sess. XXIII. de ref. c. 10.

Cap. III. Sess. XXIV. de ref. c. 16. * Mense Martii a. 1863 „s. congregatio concilii quaestioni quoad nominationem duorum vicariorum sede vacante respondit: posse tolerari.“ Iam alias, die 21. Aprilis 1592 s. congregatio concilii declaravit „sede vacante unum tantum vicarium esse eligendum. Caeterum non esse eo decreto (sc. concilii Tridentini) sublatam consuetudinem duos aut plures eligendi praesertim immemorabilem.“ Archiv. IX, 444; *Bouix*, Revue des sciences ecclésiastiques 1863, Nr. 39, p. 276—289.

a. Decretum s. congregationis episcoporum et regularium dat. 3. Maii 1862. Archiv. IX, 444.

Dolendum profecto est, in nonnullis dioecesibus Neapolitanae ditionis capitula cathedralium ecclesiarum eo audaciae devenisse, ut viventibus licet episcopis, quin eos se suis sedibus turpiter eiectos aliquo modo solarentur isque firmiter adhaererent, spreta illorum eorumque delegatorum auctoritate ad electionem vicarii capitularis temerario ausu processisse, intrusosque vicarios capitulares, licet ipsi ab hac s. congregatione episcoporum et regularium ex SSmi Domini Nostri Pii PP. IX. mandato moniti fuerint de nullitate electionis, de incursis censuris, deque obligatione dimittendi officium, in vicarii capitularis munere permansisse et adhuc permanere nareentur cum populi Christiani offensione et detrimento cumque ecclesiastici regiminis subversione. Ne tantum facinus impunitum remaneat, et ut alii a similibus perpetrandis retrahantur, Sanctitas Sua apostolica auctoritate huius decreti tenore haec quae sequuntur decernenda constituit. 1. Nullas, ritas et nullius roboris esse denuo declarat huiusmodi electiones et omnia acta, quae a praedictis vicariis capitularibus facta sunt et in posterum quovis colore et praetextu fient. 2. Tam electores, quam huiusmodi vicarios capitulares in censuras et poenas ecclesiasticas a ss. canonibus et a constitutionibus apostolicis comminatas incursos declarat. 3. Suspendit vicarios capitulares et suspensos decernit a divinis et a beneficiis quibuscunque etiam residentialibus quae ipsi obtinent, quamvis qualitatem canonicalem vel dignitatem adnexam habeant. 4. Statuit atque decernit, ut huiusmodi vicarii capitulares, si post hoc decretum in officio permanserint, eo ipso incurrant poenam privationis omnium beneficiorum, canonicatuum et dignitatum nec non inhabilitatem ad alia quaecumque beneficia, canonicatus et dignitates in posterum assequendas. 5. Hoc vero decretum Sanctitas Sua in omnibus extendit ad capitula, quae in posterum ad huiusmodi electiones, quod Deus avertat, procedent, nec non ad vicarios capitulares, quatenus hi munus susceperint.

TITULUS VIII.

UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Super fructibus ecclesiarum cathedralium vel monasteriorum pensiones non reserventur, nisi ex resignatione vel alia iusta causa in secreto consistorio summi pontificis approbanda.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. II. Quando cathedrales vel parochiales ecclesiae pensionibus gravari non possint.

Tit. VIII. Cap. I. Const., *Supernae dispositionis*, dat. 21. Mai. 1514, §. 11; in E. L. m. 7, I, 543.

Cap. II. Sess. XXIV. de ref. c. 13, §. Ad haec.

TITULUS IX.

DE REBUS ECCLESIAE ALIENANDIS VEL NON.

Gregorius Papa IX.

Cap. I. Bona patrimonialia ecclesiae Romanae non nisi unanimi cardinalium consilio et assensu alienentur. Alienatio aliter a pontifice Romano facta non tenet per successorem et eo ipso revocanda est.

Clemens Papa VI.

Cap. II. Nemo in civitatibus, castris seu villis patrimonii ecclesiae Romanae dominium, superioritatem seu advocatiam iurisdictionis quocunque praetextu absque auctoritate sedis apostolicae recipere audeat. Quod si factum est, non valeat.

Paulus Papa II.

Cap. III. In alienandis bonis ecclesiasticis iudices a sede apostolica delegati attente et caute causas in literis apostolicis per supplicationes expressas examinare, et ecclesiarum indemnitati omnino consulere debent. Nullum decretum in laesionem earum interponant. Iudex delegatus, qui per gratiam aut timorem vel sordes in gravamen ecclesiarum auctoritatem suam interposuerit, si inferior praelatus, excommunicationem Papae reservatam incurrat, si episcopus vel superior, ab exsecutione officii per annum suspendatur atque ad resarcienda damna ecclesiae illata condemnetur. Qui dolo vel fraude in detrimentum ecclesiarum alienationem procuraverit, excommunicationis poenae subiaceat, atque ad restituendas res alienatas cum fructibus teneatur.

Benedictus Papa XIV.

a. *Prohibetur, quominus cessiones exigendi fructus beneficiorum fiant sub poena excommunicationis aliisque contra alienantes bona ecclesiastica constitutis.*

Pius Papa IV.

Cap. IV. Infeudationes omnes, concessiones, alienationes terrarum, locorum vel bonorum stabilium ecclesiae Romanae ac sedis apostolicae sine evidenti utilitate vel necessitate factae rescinduntur. Detentoribus poenae statuuntur.

Pius Papa V.

Cap. V. Civitates, terrae, castra et loca sedi apostolicae subiecta, quae in feudum concessa vel alienata fuerunt, devoluta vel postea devolvenda, ipso iure, sine ulla alia declaratione, sedi apostolicae incorporantur et ad ius et do-

---

Tit. IX. Cap. I. Const., *Rex excelsus*, dat. 21. Iulii 1234, §. 1, 2; in E. L. n. 6, I, 76.
Cap. II. Const., *Etsi solertem*, dat. 21. Iulii 1346, §. 1—3; in E. L. n. 3. I, 256.
Cap. III. Const., *Cum in omnibus*, dat. 11. Maii 1465, §. 1—3; in E. L. n. 2, I, 381.
a. Const., *Universalis*, dat. 29. Aug. 1741 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).
Cap. IV. Const., *Apostolicae servitutis*, dat. 17. Nov. 1565, §. 2—5; in E. L. n. 104, II, 184.
Cap. V. Const., *Admonet nos*, dat. 29. Mart. 1567, princ., §. 1—9; in E. L. n. 35, II, 236.

minium pristinum redeunt. Nemo unquam sub gravissimis poenis de infeudandis vel alio modo alienandis eiusmodi civitatibus et locis tractare vel consilium praebere audeat. Cardinales constitutionem hanc se observaturos in assumptione pilei promittant et iurent, atque occurrente sedis apostolicae vacatione, in conclavi, quando de observandis literis Iulii II. super electione Romani pontificis et aliis constitutionibus iuramentum praestare solent, etiam de conservanda hac constitutione per quemlibet eorum, qui in Romanum pontificem electus fuerit, et postmodum idem ad pontificatum assumptus, post eius assumptionem hoc ipsum iurare, et deinde post coronationem suam iuramentum huiusmodi per literas speciales horum confirmatorias reiterare debet. Quod si illud a pontifice recusaretur aut differretur, cardinales eum pro observanda hac constitutione instantissime rogare non cessent.

Innocentius Papa IX.

Cap. VI. Confirmatur laudata constitutio Piana et declaratur, eadem non solum prohibitum esse, ne ulla infeudatio vel alienatio terrarum vel civitatum sedis apostolicae post devolutionem fiat vel attentetur, sed etiam ne prorogatio infeudationis, antequam devolvantur eiusmodi loca, fieri debeat, atque ne quidquam omnino devolutionem impedire possit. Iuramentum de servanda Piana constitutione per ipsum Innocentium IX., successores Romanos pontifices et cardinales praestitum et praestandum, omnino de ipsa Pii constitutione intelligatur, prout supra declarata est, et secundum hanc Innocentii IX. declarationem Pianum decretum inviolate observandum praecipitur.

Clemens Papa VIII.

Cap. VII. Constitutiones laudatae aliaeque praedecessorum Romanorum pontificum, necnon Innocentii IX. earum declaratio confirmantur.

Pius Papa IX.

b. *Omnes, qui excommunicatione mulctantur in constitutionibus s. Pii V.,* Admonet nos, *Innocentii IX.*, Quae ab hac sede, *Clementis VIII.,* Ad Romani pontificis, *et Alexandri VII.*, Inter ceteras, *alienationem et infeudationem civitatum et locorum R. R. E. respicientibus, excommunicationi latae sententiae Romano pontifici reservatae subiacere declaratur.*

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. VIII. Quaedam locationes rerum ecclesiasticarum irritae declarantur.

Cap. VI. Const., *Quae ab hac sede*, dat. 4. Nov. 1591, §. 1—6 (§§. 1, 2, 3 in compendium redactae sunt); in E. L. n. 1, II, 785.

Cap. VII. Const., *Ad Romani pontificis*, dat. 26. Iuni 1592, §. 4; in E. L. n. 1, III, 1. Const. Piana, cap. V. h. t. citata confirmata et innovata fuit a successoribus summis pontificibus, Gregorio XIII., Sixto V., Gregorio XIV., Innocentio IX. (loco supra cap. VI. h. t. citato), Clemente VIII. (cap. VII. h. t.), Urbano VIII., Alexandro VII. const., *Inter ceteras*, dat. 24. Octobr. 1660.

b. Const., *Apostolicae sedis*, dat. 12. Octobr. 1869.

Cap. VIII. Sess. XXV. de ref. cap. 11, §. Locationes.

TITULUS X.

DE EMTIONE ET VENDITIONE.

Pius Papa V.

Cap. I. Census, sive annui redditus creari constituive non possunt nisi in re immobili, aut quae pro immobili habeatur, et quae de sui natura fructifera sit et certis finibus designata. Debet fieri in pecunia numerata praesentibus testibus et notario vel alias, ut constet de vera et reali solutione in pecunia numerata. Exhibentur regulae in constituendis vel alienandis censibus observandae.

TITULUS XI.

DE LOCATO ET CONDUCTO.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Variae locationes bonorum ecclesiasticorum prohibentur; quaedam factae irritantur.

TITULUS XII.

DE DONATIONIBUS.

Alexander Papa VI. regi et reginae Castellae.

Cap. I. Ferdinandus Hispaniarum rex et Elisabeth regina excitantur, ut in terris et insulis a Christophoro Columbo detectis et detegendis fidem Catholicam propagare intendant, eisque omnes huiusmodi terrae et insulae novi orbis donantur et conceduntur.

TITULUS XIII.

DE TESTAMENTIS ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

Pius Papa V.

Cap. I. Facultates et indulta quaecunque testandi vel inter vivos disponendi de rebus ecclesiasticis, beneficiorum fructibus, de peculio quamvis ex industria vel muneribus acquisito, necnon de ipsis bonis patrimonialibus, in favorem

---

Tit. X. Cap. I., Const., *Cum onus*, dat. 19. Ianuarii 1570. Post exordium a compilatoribus factum sequitur §. 1—16; in L. E. n. 79, II, 295.

Tit. XI. Cap. I. Sess. XXV. de ref. cap. 11, princ. — §. Locationes.

Tit. XII. Cap. I. Const., *Inter cetera*, dat. 4. Maii 1493, princ., §. 1—8; in E. L. n. 2, I, 453.

Tit. XIII. Cap. I. Const., *Quae ordini*, dat. 27. Ian. 1571, princ., §. 1—8; in E. L. n. 107, II, 346.

illegitimorum, sive suorum sive extraneorum, etiam legitimatorum, clericis cuiusvis gradus concessa revocantur. Indulta etiam illegitimis concessa succedendi ab intestato vel ex testamento aliave aliqua dispositione in huiusmodi bona irritantur. Immo, omnes illegitimi succedendi in haereditates vel acquirendi alio modo bona generis praedicti incapaces declarantur. Facultates etiam, legatis, comitibus aliisve personis datae privilegia similia concedendi tolluntur. Laicis etiam de bonis ecclesiasticis nullo modo, sive inter vivos sive mortis causa illegitimis quidquam relinquere fas est.

Pius Papa IX.

De ultimis voluntatibus et successionibus in bona monachorum, qui ex indulto apostolico extra claustra degunt.

Nonnulla a te proponebantur dubia circa facultatem disponendi monachorum, qui ex indulto apostolico extra claustra degunt. Verum magis expedire visum est tibi hac super re communicare generalia responsa huius congregationis episcoporum et regularium, quam ad singula dubia peculiariter respondere. 1. Monachus etiam perpetuo et absoluto saecularizationis apostolico indulto praeditus, non potest de bonis disponere absque apostolicae sedis speciali beneplacito. 2. Si dicto indulto disponendi careat, vel eo legitimè usus non sit, distinguendum est inter bona ab eo relicta, scil. bona, quae monasterii erant secumque e claustro egredieus ipse attulerat, vel ei utcunque obvenerunt, quemadmodum et bona, si quae habebat ex illis provenientia, suo monasterio manent. Quoad autem cetera bona a tali monacho extra claustra aliter quam ex bonis ad religionem pertinentibus acquisita, iudicandum de iis est iuxta constitutionem Gregorii XIII., *Officii nostri,* ubi dicta constitutio viget*. 3. Ius succedendi haereditati monachi professi decedentis extra claustra, qui apostolicum indultum obtinuit, manendi extra claustra ad tempus, retento habitu vel veste sui ordinis dimissa, ad eius monasterium spectat.

TITULUS XIV.

DE SEPULTURIS.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Parochias cum cruce ad levanda funera eorum, qui apud ecclesias domorum et locorum regularium suam elegerint sepulturam, fratres quorumcunque ordinum intrare non possint, nisi prius praemonito et requisito, ac

---

a. Decretum s. congregationis regularium dat. 4. Ianuarii 1862 abbati cuidam ordinis S. Benedicti. Archiv. VIII., 464.

* Const., *Officii nostri*, Gregorii XIII., dat. 21. Ian. 1577; in E. L. n. 43, II, 440, bona regularium extra claustra degentium, undecunque venerunt, sub spoliorum nomine ad cameram apostolicam pertinere constituit.

Tit. XIV. Cap. I. Const., *Dum intra mentis*, (conf. notata ad cap. 2 de rescriptis I, 3) §. 9, 10. Textus bullae de fratribus mendicantibus tantum loquitur.

non recusante parochiano presbytero, et tum sine eius ac ordinarii praeiudicio, nisi eisdem fratribus super hoc antiqua consuetudo, quae sit in viridi observantia et cum pacifica possessione, suffragetur.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. II. Quartam funeralium cathedrales vel parochiales ecclesiae recipiant.

Urbanus Papa VIII.

a. *Parochi in sepulturis, quae fiunt in ecclesiis regularium, plus percipere non possunt quam in eis, quae in propriis seu in aliorum clericorum ecclesiis fiunt.**

Gregorius Papa XVI.

b. *In externa notoriaque haeresum professione defuncti neque catholicis ritibus honorandi, neque speciatim piis fidelium precibus commendandi sunt.*

Officium perlibenter accepimus, quod natalitiis solemnibus recurrentibus novoque exordiente anno tuae ad Nos literae detulerunt. Grati autem piis votis, quae pro incolumitate nostra prosperoque apostolicae nostrae sollicitudinis cursu suscepisti, et Nos vicissim oramus atque obsecramus Dominum, ut te, venerabilis frater, uberioribus cumulet coelestis gratiae donis, quae in traditas quoque curae tuae oves copiosa descendant. Aequi autem bonique facias, V. F., si ut nostro satisfaciamus muneri, hac ipsa familiari epistola graviter querimur de iis, quae in tua dioecesi acta sunt, cum nuper acatholica princeps serenissima regina vidua ab hominibus demigravit. Aequum sane erat, ut Bavariae [!] defunctam reginam civilibus eiusque dignitati congruis honoribus prosequerentur; sed Nobis sermo hic est de Catholicis ritibus in eius funere adhibitis, habemusque ob oculos tuas literas, quas die 19. Novembris ea de re ad parochos dederas. Vix autem possumus explicare verbis, quantum concepimus animo dolorem, cum ex earumdem lectione cognosceremus iussisse te, ut publicae illae supplicationes, quae pro omnibus in Christiana et Catholica societate defunctis institutae ab ecclesia sunt, haberentur istic pro muliere principe, quae in haeresi, ut manifestissime vixerat, ita et diem obiit supremum. Nec quidquam ad id refert, si potuerit in extremis vitae momentis occulto Dei miserentis beneficio illuminari ad poenitentiam. Etenim secretoria haec divinae gratiae mysteria ad exterius ecclesiasticae potestatis iudicium minime pertinent, atque hinc veteri iuxta ac nova ecclesiae disciplina interdictum est, ne homines in externa notoriaque haeresum professione defuncti Catholicis ritibus honorentur. Atqui satis tibi non fuit, Catholicos ritus hac occasione praescribere, sed iussisti etiam, ut in funebri defunctae laudatione sacer orator eam commendaret speciatim piis fidelium precibus, ac vetuisti,

---

Cap. II. Sess. XXV. de ref. c. 13. * De iure sepult. quoad regular. cf. nota ad c. 1. de paroch. III, 15.

a. Const., *Quum sicut*, dat. 2. Mart. 1638; in E. L. n. 223, V, 303.

b. Literae, *Officium perlibenter*, ad episcopum Augustanum datae d. 13. Febr. 1842. Archiv X, 387.

ne quidquam porro adiiceret ad differentiam inter illud funus et Catholicorum funera explicandam. Imo in tuarum literarum exordio non es veritus de illius morte ita loqui, ut ipsam a Deo advocatam diceres ex hoc saeculo in vitam aeternam.

Non videmus equidem, quomodo id a te fidenter adeo, nulla adiuncta declaratione, affirmatum componi possit cum Catholico dogmate de necessitate verae Catholicae fidei; cum eo inquimus dogmate, quod inter praecipuos articulos in formulas professionis fidei relatum, Nos quoque in encyclica epistola ad Bavariae antistites tuendum commendavimus tamquam antidotum contra grassantem indifferentismi pestem hoc praesertim tempore necessarium. Haec non ideo scribimus, venerabilis frater, quasi eandem ecclesiae doctrinam ignorari a te vel minime suspicemur; sed episcopum, ut probe nosti, ea semper et loqui et iubere et agere opus est, quae gregi suo in aedificationem futura sint, non in destructionem. Plane autem non dubitamus, quin hac exhortatione nostra excitatus, scandalum, quod fidelibus ex tua epistola et funere illo obvenit, idoneis deinde occasionibus, prout res tulerit et prudentia suggesserit, reparare adnitaris, tuasque fideles oves pro loco ac tempore opportunis modis praemunire non negligas adversus inanem fallaciam magistrorum auribus prurientium, qui hominem a vera fide et unitate Catholica alienum ad aeternam vitam, etsi ita obierit, pervenire posse comminiscuntur. Hunc in finem atque ad pericula similium funerum deinceps avertenda erit quoque tui muneris, ut nostram hanc epistolam caute deponas in tabulario tuo episcopali atque ibidem asservandam cures in memoriam posteritatis.

Pius Papa IX.

c. *Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos ipso iure excommunicationi subiacere declarantur.*

TITULUS XV.

DE PAROCHIIS ET ALIENIS PAROCHIANIS.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Parochiae certis finibus distinguendae.*

---

c. Const., *Apostolicae sedis*, dat. 12. Octobr. 1869.

Tit. XV. Cap. I. Sess. XXIV. de ref. c. 13. §. In iis quoque. * In literis Emi. cardinalis archiepiscopi Mechliniensis ad clerum archidioeces. d. 15. Ian. 1836 datis, de iure parochorum in sepeliendis regularibus haec leguntur: Superior (ordinis exempti) cuiusque domus est parochus, ipsaque domus est quodammodo parochia religiosorum in ea habitantium; quare sepultura et exequiae eorum per superiorem in sacello vel ecclesia domus fieri debent. Si autem corpus ad ecclesiam vel coemeterium alicuius parochiae deferatur, pastor ius habet sepulturam faciendi ac ius suum percipiendi, licet omnino deceat, ut sinat religiosos hoc quoque ultimum obsequium defuncto fratri exhibere. Religiosis aequi parantur novitii, famuli et commensales continui, qui sunt sub obedientia superioris. Archiv. XXII, 195.

TITULUS XVI.

DE DECIMIS, PRIMITIIS ET OBLATIONIBUS.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Praedicatores et confessores fideles ad solvendas decimas sive aliam bonorum vel fructuum partem quotam, in locis ubi ipsae solvi consueverunt, moneant et compellant.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. II. Decimae integre persolvendae. Eas subtrahentes excommunicandi. Rectoribus ecclesiarum tenuium pie subveniendum.

TITULUS XVII.

DE REGULARIBUS ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Excommunicati, ordinem mendicantium profiteri volentes, ubi de interesse tertii ageretur, absolvi non possint, nisi praevia satisfactione. Procuratores quoque et negotiorum gestores ac operarii eorumdem fratrum servitiis insistentes, sententiis excommunicationis promulgatis illaqueati sint et esse censeantur, si illis causam dederint aut dantibus consilium, auxilium vel favorem praestiterint (Est integer textus).

Paulus Papa IV.

Cap. II. Privilegia omnia ordinibus vel monasteriis concessa recipiendi regulares professos aliorum ordinum, vel canonicos regulares penitus revocantur.

Benedictus Papa XIII.

a. *Regularibus transitus ad alium ordinem, in quo claustralis et regularis observantia non viget, interdicitur. Omnia eiusmodi privilegia et facultates revocantur.*

Urbanus Papa VIII.

b. *Nulli regulari permittatur etiam ad arctiorem religionem transire, nisi prius superiori legitime constiterit, eam religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, ipsumque regularem se recta via ad arctiorem translaturum esse. Quod ut re ipsa fiat, superior invigilet.*

Tit. XVI. Cap. I. Const., *Dum intra mentis*, (citata supra ad cap. 2 de rescriptis I, 3) §. 16.

Cap. II. Sess. XXV. de ref. c. 12.

Tit. XVII. Cap. I. Const., *Dum intra mentis*, (cap. I. tituli praecedentis citata) §. 18.

Cap. II. Const., *Postquam divina*, dat. 20. Iulii 1558, §. 11; in E. L. n. 14, I, 838.

a. Const., *Licet sacra*, dat. 13. Febr. 1726; in E. L. n. 9, VII, 493.

b. Decreta s. congregationis concilii de regularibus et apostatis, dat. 21. Sept. 1624; in E. L. IV, 63. De regularibus eiectis et apostatis cf. infr. de apostatis V, 7.

Idem.

c. *Facultas dispensandi cum regularibus super voto de non petenda nec acceptanda dignitate extra religionem privative Romano pontifici competit.*

Idem.

d. *Regulares votum de non petenda vel acceptanda dignitate extra religionem emittentes per translationem, habitus privationem aut demissionem a voti obligatione nequaquam liberantur.*

Paulus Papa IV.

Cap. III. Regularis episcopus electus, si post consecrationem suam ad claustra redierit, ad officia vel dignitates sui ordinis nullo modo eligi potest, immo incapax munerum vel dignitatum huiusmodi esse declaratur.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. IV. Translati ad alium ordinem in claustro sub obedientia maneant, et beneficiorum incapaces existant.

Ex eodem.

Cap. V. Regulares omnes ad regulae, quam professi sunt, praescriptum vitam instituant; id ut fiat superiores sedulo curent.

Ex eodem.

Cap. VI. Proprietas regularibus omnino prohibetur.

Clemens Papa VIII.

e. *Paupertatis religiosae observantia inculcatur.*

Quo Tridentini concilii decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, praecipitur, ut nullus ex fratribus, etiamsi superior sit, bona immobilia vel mobilia aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus sive ex lectionibus, aut pro missis tam in propria ecclesia, quam ubique celebrandis, aliove ipsorum iusto labore et causa et quocumque nomine acquisita, etiam si subsidia consanguineorum aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint, tamquam propria aut etiam nomine conventus possidere possit; sed ea omnia statim superiori tradantur et conventui incorporentur atque cum ceteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit. Neque superioribus, quicunque illi sint, ullo

---

c. Const., *Honorum*, dat. 24. Febr. 1643; in E. L. n. 297, V, 382.

d. Const., *Quum sicut*, dat. 21. Maii 1635; in E. L. 196, V, 278.

Cap. III. Const., *In sacra b. Petri*, dat. 19. Iulii 1559, §. 2—4; in E. L. I, 843.

Cap. IV. Sess. XIV. de ref. c. 11.

Cap. V. Sess. XXV. de regular. c. 1.

Cap. VI. Sess. XXV. de regular. c. 2.

e. Const., *Nullus omnino*, dat. 1599 et 1604, confirmata ab Urbano VIII. const., *Sacra congregatio*, dat. 21. Sept. 1624, §. 3—8; in E. L. IV, 65.

pacto liceat eisdem fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam, etiam depositi aut custodiae nomine concedere. Eorum vero, quae ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat ut proprium neque ut proprio utatur. Qui in praemissorum aliquo deliquerit, poenas nedum a concilio Tridentino praescriptas, sed alias quoque multo graviores, superiorum arbitrio imponendas incurrat. Nulla quorumcunque superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia vel mobilia fratres excusare possit, quo culpae et poenae ab eiusdem concilii decretis impositae et ipso facto incurrendae obnoxii sint.

Clemens Papa VIII.

f. Largitio munerum quorumcunque utriusque sexus regularibus eorumque praefectis vel capitulis quocunque sub praetextu fiat, omnino interdicitur. Quid sub nomine munerum veniat, declaratur. Nulli omnino eiusmodi munera a regulabus recipere fas est. Dantibus et recipientibus poenae infliguntur.

Urbanus Papa VIII.

g. Clementina laudata constitutio, qua regularibus munerum largitio interdicitur, eo sensu declaratur, quod sub hac prohibitione non veniant munera a regularibus data ex causis gratitudinis, conciliationis vel benevolentiae eiusque conservationis erga ipsam religionem, aliisve causis ex sui natura actum virtutis et meriti continentibus, dummodo haec fiant modeste et discrete atque de superiorum licentia, necnon cum consensu maioris partis conventus, si talis consensus de iure vel ex constitutionibus requiratur. Convivia quoque in excipiendis benefactoribus, protectoribus vel ordinariis tum demum censentur prohibita, si decentiae status regularis adversentur.

Pius Papa IX.

h. Votum simplex paupertatis, quod in congregationibus sive institutis votorum simplicium emittitur, non privat professam dominio rerum, sed tantum usufructu et usu.

---

f. Const., *Religiosae congregationis*, dat. 19. Iuli 1594; in E. L. n. 28, III, 44.

g. Const., *Nuper*, dat. 16. Octobr. 1640; in E. L. n. 267, V, 350.

h. Animadversiones factae a s. congregatione episcoporum et regularium in constitutiones sororum Hospitalariarum a s. Paulo nuncupat., dioecesis Carnotensis in Gallia expeditae die 12. Iulii 1861; exstant in libro, cui titulus: Methodus, quae a s. congregatione episcoporum et Regularium servatur in approbandis novis institutis votorum simplicium, ab A. Archiepiscopo Philippensi secretario (iam cardinale Bizzarri) exposita ad usum secretariae, n. XVI.; Archiv. XV, 433. Sententia, quae in textu continetur de paupertate in institutis votorum simplicium observanda generatim in curia Romana recepta est. Eadem enim textus verba leguntur in animadversionibus factis in constitutiones presbyterorum societatis Mariae sive Maristarum dat. 15. Iunii 1860; *Bizzari*, l. c. n. XXI.; Archiv. XV, 439; necnon in constitutiones „des soeurs de la présentation de Notre Dame“ dat. 1. April 1861; *Bizzarri*, l. c.; Archiv. XV, 440. In constitutiones sororum Hospitalariarum loco supra citato haec animadvertuntur: „Votum paupertatis magis praecise determinandum erit relate ad dominium radicale, quod alumnae retinere possunt, et relate ad administrationem et usumfructum, quibus exspoliare se debent.“ In animad-

Super voto paupertatis sequens dispositio ab apostolica sede quoad nonnulla huiusmodi instituta votorum simplicium constituta est. Professae dominium radicale, uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt; sed eis omnino interdicta est eorum administratio et reddituum erogatio atque usus, donec in instituto permanserint. Debet propterea ante professionem cedere, etiam private, administrationem et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo instituto, si ita pro earum libito existimaverint. Haec vero cessio vim amplius non habebit in casu egressus ab instituto, quin imo apponi poterit conditio, quod sit quandocunque revocabilis, etiamsi in instituto permanserit; sed professae durantibus votis hoc iure revocandi in conscientia minime uti poterunt, nisi accedente apostolicae sedis placito. Quod etiam dicendum est de bonis, quae post professionem titulo haereditario eis obvenerint. Poterunt tamen de dominio sive per testamentum, sive, de licentia tamen moderatricis generalis, per actus inter vivos disponere, nec eis vetitum est ea proprietatis acta peragere de licentia moderatricis generalis, quae a legibus praescribuntur.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. VII. Omnia monasteria, quae hic non prohibentur, possunt possidere bona immobilia. Numerus personarum in illis pro modo facultatum aut eleemosynarum constituendus. Nulla sine licentia episcopi erigenda.

Urbanus Papa VIII.

Nullibi monasterium vel religiosorum conventus recipiatur, nisi in singulis eiusmodi locis duodecim saltem religiosi ex reditibus certis competenter sustentari valeant.

Clemens Papa VIII.

Locorum ordinarii ad novos conventus cuiuscunque, praesertim Mendicantium, ordinis in civitatibus et locis eorum ordinariae iurisdictioni subiectis erigendos licentiam impertiri non possunt, nisi vocatis et auditis ibidem iam existentium conventuum superioribus et aliis interesse habentibus, et, causa servatis servandis cognita, constiterit, in eisdem civitatibus et locis novos huiusmodi conventus erigendos sine aliorum detrimento commode sustentari posse.

Gregorius Papa XV.

Praedicta constitutio Clementina confirmatur et eo extenditur, ut etiam consensus incolarum loci, in quo conventus erigendi sunt, exquirendus sit.

---

versionibus ad constitutiones sororum a s. Iosepho factae die 6. Iunii 1860 generatim haec annotantur: „Votum simplex paupertatis non privat professam dominio rerum, sed tantum usufructu.“ Bizzarri l. c. VII. Archiv. XV, 422. Vide etiam infra gg. h. t.

Cap. VII. Sess. XXV. de ref. c. 3.

i. Decretum s. congregationis concilii dat. auctoritate Urbani VIII. d. 5. Iulii 1625; in E. L. n. 43, IV, 91. Conf. Pauli V. const., *Sanctissimus*, dat. 4. Dec. 1605; in E. L. III, 213.

k. Const., *Quoniam ad institutam*, dat. 23. Iulii 1603; in E. L. n. 99, III, 162.

l. Const., *Quum alias*, dat. 17. Aug. 1622; in E. L. n. 31, III, 464. Utramque con-

Innocentius Papa X.

m. *Constitutiones praedecessorum pontificum de erigendis novis conventibus editae renovantur. Supprimuntur omnes regularium conventus, in quibus ob parvum numerum religiosorum regularis disciplina iuxta peculiaria cuiusque ordinis instituta servari non potest. Prohibetur, ne deinceps aliquis regularis ordinis, congregationis et cuiusvis alterius instituti in aliqua civitate seu loco ad habitandum domos seu monasteria, conventus vel collegia incipere vel fundare praesumat absque sedis apostolicae licentia speciali plenam et expressam faciente de prohitione huiusmodi mentionem in scriptis et gratis concedenda, praevia examinatione congregationis negotiis episcoporum et regularium praepositae. Si secus egerint, eo ipso incurrant poenas privationis et inhabilitatis, et receptiones, fundationes vel erectiones sint ipso iure nullae et invalidae; domus vel monasteria cum personis in eis degentibus omnimodae iurisdictioni et visitationi ordinarii loci in omnibus subiaceat.*

Clemens Papa VIII.

n. *Statuuntur decreta generalia pro reformatione regularium cuiuscunque ordinis et instituti. Agitur de servitio chori, lectione s. Scripturae, paupertatis voto observando, de vestitu et supellectili, de cibo, de ratione officiorum, administratione bonorum, numero fratrum cuiusque conventus, de clausura, exitu et reditu, de cellis et fenestris conventus, locis professioni emittendae destinatis, de ambitu, electione superiorum, approbatione praedicatorum et confessorum, de promovendis ad sacros ordines. Poenae in contravenientes sanciuntur.*

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. VIII. Regularis sine superioris licentia nec se obsequio alterius loci aut personae subiiciat, nec a conventu recedat. Absens studiorum causa in conventibus commoretur.

Ex eodem.

Cap. IX. Clausurae monialium, praesertim quae extra urbes agunt, providetur.

---

stitutionem praedictam, Clementinam et Gregorianam Urbanus VIII. const., *Romanus Pontifex*, dat. 28. Aug. 1624, confirmavit, et omnia indulta erigendi ubique locorum monasteria, non observata forma praescripta, revocavit; in E. L. V, 60.

m. Const., *Instaurandae regularis disciplinae*, dat. 26. Octobr. 1652; in E. L. n. 50, IV, 481. Quamvis bulla pro Italia et insulis adiacentibus dumtaxat data sit, praescriptum de beneplacito sedis apostolicae pro monasteriis fundandis etiam extra Italiam valere asserit Benedictus XIV. de synodo dioecesana; L. IX. c. 1. n. 9, et multi alii doctores quibus favet praxis curiae Romanae.

n. Const., *Nullus omnino*, dat. a. 1599 et 1604; in E. L. n. 60, III, 89. Urbanus VIII. const., *Sacra congregatio*, dat. 21. Sept. 1624 (in E. L. IV, 63), omnia praedicta Clementis VIII. decreta innovavit et confirmavit. Quoad locum professioni emittendae destinatum vide infra cap. ee. h. t. nota **.

Cap. VIII. Sess. XXV. de regular. c. 4.

Cap. IX. Sess. XXV. de regular. c. 5.

Gregorius Papa XV.

. Regulares et saeculares, qui animarum curam in monasteriis vel aliis ecclesiis exercent, si circa clausuram monialium deliquerint, correctioni episcopi loci tanquam sedis apostolicae delegati subiaceant, non obstante quacunque exemptione.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. X. Ratio eligendi superiores traditur.

Ex eodem.

Cap. XI. Quae et quomodo abbatissae et quocunque nomine praefectae eligendae. Duobus monasteriis nulla praeficiatur.

Ex eodem.

Cap. XII. Regimen monasteriorum non habentium ordinarios regulares visitatores, quomodo instituendum.

Ex eodem.

Cap. XIII. Monasteria monialium immediate subiecta sedi apostolicae ab episcopo regantur; alia vero a deputatis in capitulis generalibus, vel aliis regularibus.

Ex eodem.

Cap. XIV. Moniales unoquoque mense confiteantur et communicent. De confessario extraordinario iis ab episcopo provideatur. Apud illas extra publicam ecclesiam eucharistia non conservetur.

Benedictus Papa XIV.

*. Ad episcopum sive ordinarium loci spectat deputatio confessarii tam ordinarii quam extraordinarii pro monialibus sibi subiectis; Praelatus vero regularis, ad quem pertinet ordinarium confessarium subditis sibi monialibus constituere, extraordinarium quoque duobus vel tribus per annum temporibus exhibere tenetur. Ordinarii in hac parte negligentia a cardinali maiori poenitentiario, superioris regularis vero negligentia ab ordinario supplenda est. Generatim omnibus monialibus universe, non singulis, extraordinarius exhibeatur. Episcopi et praelati non adeo difficiles se praebeant peculiaribus extraordinarium aliquando petentibus concedere, nisi aut monialis postulantis aut confessarii requisiti qualitas

---

o. Const., *Inscrutabili*, dat. 5. Febr. 1622; in E. L. n. 18, III, 452. Conferatur onst., *Inter multiplices*, Clementis XIII., dat. 11. Dec. 1758 (Continuatio bullarii Romani . I, p. 73) respons. ad dub. VIII.; Regulares qui subiecta habent monasteria monialium, biiciuntur episcopo quoad curam clausurae dictorum monasteriorum et quoad clausurae bservantiam.

Cap. X. Sess. XXV. de regular. c. 6.

Cap. XI. Sess. XXV. de regular. c. 7. Conferantur quae supra sub cap. 15. i. de ectione I, 4 de electione abbatissarum notata sunt.

Cap. XII. Sess. XXV. de regular. c. 8.

Cap. XIII. Sess. XXV. de regular. c. 9.

Cap. XIV. Sess. XXV. de regular. c. 10.

p. Const., *Pastoralis curae*, dat. 5. Aug. 1748 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).

aliter faciendum suadeat. Monialibus recursus ad cardinalem maiorem poenitentiarium semper patet. Durante munere extraordinarii confessoris, ordinarii munus omnino cessare debet, qui tunc ad claustra non accedat; nec extraordinario post expletum officium accessus ad claustra pateat.

Idem.

q. *Ad audiendas confessiones monialium episcopo immediate subiectarum generatim sacerdos saecularis deputetur, non regularis.*

Sane pro monialibus episcopo immediate subiectis regula est, ut ordinarius earum confessor sit sacerdos saecularis.

Pius Papa IX.

r. *Licet episcopo regulares in confessarios extraordinarios deputare, dummodo id constitutionibus et regulis vetitum non sit; ad constituendos regulares ex iusta causa in confessarios ordinarios speciali summi pontificis indulto indiget.*

Ad dubia proposita... s. congregatio episcoporum et regularium respondit, posse episcopum deputare regulares, quibus a suis constitutionibus ac regulis vetitum non sit, in confessarios extraordinarios. Ut autem religiosos in confessarios ordinarios episcopus orator in defectu presbyterorum saecularium, qui idonei sunt, deputare possit, s. congreg. ex speciali SSmi D. N. auctoritate facultatem ad triennium dumtaxat tribuit.

Gregorius Papa XV.

s. *Confessarii, sive regulares sive saeculares, quomodocunque exempti, tam ordinarii quam extraordinarii, ad audiendas monialium etiam regularibus subiectarum confessiones nullatenus deputari valeant, nisi prius ab episcopo dioecesano idonei iudicentur. Licet episcopo ex rationabili causa superiores regulares admonere, ut eiusmodi confessarios etiam approbatos removeant, et si superiores id facere detrectaverint vel neglexerint, ipse episcopus illos removere potest. Causas, cur eos admovendos esse censuit, superioribus regularibus significare non tenetur.*

Idem.

t. *Confessiones monialium, quas audiunt superiores regulares electi seu deputati post publicationem et scientiam praedictae bullae Gregorii XV., non obtenta episcopi approbatione, nullae sunt atque irritae.*

---

q. Const., *Pastoralis curae*, citata. Conf. *Ferraris*, Prompta bibliotheca, sub v. confessar. monial. §. 26, ubi citatis aliis decretis ad rem facientibus haec verba adiicit: „et generaliter regulares non solum non possunt esse confessarii ordinarii, sed neque capellani monialium ordinario subiectarum.“

r. Responsum s. congregationis episcoporum et regularium dat. 14. Februarii 1851; Archiv. VIII, 211.

s. Const., *Inscrutabili*, dat. 5. Febr. 1622; in E. L. III, 452.

t. Const. citata.

Idem.

u. Regulares generaliter ab episcopo approbati ad confessiones personarum saecularium audiendas, non censentur etiam approbati ad audiendas confessiones monialium sibi subiectarum, sed quoad hoc speciali indigent episcopi approbatione. Neque regularis, ab episcopo approbatus ad audiendas monialium confessiones unius monasterii, confessiones monialium alterius audire potest. Confessarii extraordinarii semel ab episcopo deputati et approbati, ut monialium confessiones pro una vice audiant, non possunt pluries in vim approbationis huiusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab episcopo approbandi sunt, quoties casus deputationis contigerit.

Clemens Papa XIII.

v. Regulares tenentur pro obtinenda facultate audiendi confessiones, sive saecularium, sive monialium, se personaliter coram episcopo praesentare, neque sufficit, a superioribus de idoneitate testimonium transmitti.

Benedictus Papa XIV.

x. Decretum concilii Tridentini de confessario extraordinario monialibus bis aut ter in anno offerendo etiam ad moniales spectat, quae, licet clausurae legibus minime adstrictae sint, in communitate tamen vivunt, necnon aliarum quarumcunque mulierum et puellarum coetus seu conservatoria, quae unicum ab ordinario confessarium designatum habent.

Idem.

y. Tempore iubilaei universalis moniales sibi eligere possunt confessarium ex iis, qui pro monialibus in genere ab actuali ordinario loci approbati fuerint.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. XV. In monasteriis, quibus imminet cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum familia, visitet episcopus, et eidem curae praefi-ciendas examinet, certis exceptis.

Gregorius Papa XV.

z. Regulares vel saeculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum saecularium monasterii, seu domibus regularibus aut quibusvis aliis ecclesiis vel beneficiis, sive regularibus sive saecularibus incumbentem exerceant, sive alias ecclesiastica sacramenta, aut unum ex illis ministrent, praevia episcopi licentia et approbatione, sive quoquomodo in dictae curae exercitio aut in eorundem

---

u. Const. citata. Conf. Clementis X. const., ***Superna magni***, dat. 21. Iunii 1670 (in E. L. VI, 305), necnon Clementis XIII. const., *Inter multiplices* (dat. 11. Dec. 1758), Cap. IX, o. h. t. citata.

v. Const., *Inter multiplices*, dat. 11. Dec. 1758 (Continuat. bullarii Romani T. I. p. 73).

x. Const., *Pastoralis curae*, dat. 5. Aug. 1748 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).

y. Const., *Celebrationem*, dat. 1. Ian. 1751, §. 11 (Bullar. Bened. XIV. T. III.).

Cap. XV. Sess. XXV. de regular. c. 11.

z. Const., *Inscrutabili*, dat. 5. Febr. 1622; in E. L. n. 18, III, 452. Conf. supra u. citata const., *Inter multiplices*, Clementis XIII., §. 5. 6.

sacramentorum vel alicuius ex illis administratione de facto, absque ulla auctoritate se ingerant; in his, quae eiusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimode iurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani episcopi tamquam sedis apostolicae delegati plene in omnibus subiiciantur. Quae quidem episcopi iurisdictio non solum in notoriis, sed in omnibus delictis locum habet.

Benedictus Papa XIV.

aa. *Declaratur iurisdictio episcoporum quoad ecclesias parochiales regularium et personas regulares curam animarum in subditos saeculares exercentes. Missionarii, quos episcopus visitationi pastorali praemittit, etiam a parochis regularibus excipi debent. Episcopus in visitationis cursu sacramentum confirmationis in ecclesiis regularium, etiamsi parochiales non sint, administrare potest. Singula, quae in ecclesiis parochialibus regularium visitare ei licet, exponuntur. Ipsius parochi regularis vitam et mores, necnon quae ad parochi officium pertinent, exquirere potest. Generatim, quidquid episcopus a parocho saeculari exquirere et exigere solet et debet, id omne, regulari observantia unice excepta, a parocho regulari exquirere et exigere, et, ubi opus fuerit, meritas in eum poenas statuere potest et debet. Ad obtinendam exemptionem ab episcopali iurisdictione et visitatione sufficit, ut ipsum monasterium sit ordinaria et principalis sedes superioris generalis, sed etiam tum privativa episcopi iurisdictio in parochianos firma manet, necnon ius examinandi et approbandi parochum, et instandi, quatenus opus sit, pro illius remotione.**

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. XVI. Conformentur regulares saecularibus in observatione censurarum episcopalium et festorum dioecesis.

Ex eodem.

Cap. XVII. Controversias de praecedentia e vestigio componat episcopus. Exempti non in strictiori clausura viventes ad supplicationes publicas accedere compellantur.

Ex eodem.

Cap. XVIII. Regulari publice delinquenti poena a quo irroganda **.

Clemens Papa VIII.

bb. *In exequendo praedicto concilii Tridentini decreto prohibetur, ne superior regularis ab episcopo de puniendo regulari extra claustra delinquente monitus, eum ad alia monasteria extra dioecesim transmittat. Quod si fecerit, eum revocare, et in loco, in quo deliquit, constituere sub gravissimis poenis tenetur.*

---

aa. Const., ***Firmandis***, dat. 6. Nov. 1744 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

* Alia circa iura episcopi in regulares curam animarum exercentes vide infra sub cap. IV. et V. de poenit. et remiss. V, 18.

Cap. XVI. Sess. XXV. de regular. c. 12.

Cap. XVII. Sess. XXV. de regular. c. 13.

Cap. XVIII. Sess. XXV. de regular. c. 14. ** Facultas cognoscendi causas regularium haereticae pravitatis reorum privative ad inquisitores h. pr. vel ordinarios locorum spectat. Vide supra cap. 3. b. de iudiciis II, 1.

bb. Const. ***Suscepti muneris***, dat. 25. Febr. 1596; in E. L. n. 39, III, 59.

Benedictus Papa XIV.

cc. Regulares extra claustra degentes et se translatos esse asserentes ordinarius loci coercere et corrigere potest.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. XIX. Professio non fiat nisi anno probationis exacto et decimo sexto aetatis anno completo *.

Pius Papa IX.

dd. In religiosis virorum familiis novitii, peracta probatione et novitiatu, ad emittenda vota simplicia dumtaxat admittantur. Professis eiusmodi post triennium a die, quo vota simplicia emiserunt, computandum, professionem votorum solemnium facere permittitur; quae professio iustis ex causis a superiori generali vel provinciali ulterius differri potest, non tamen ultra aetatem annorum XXV. completorum. **

Neminem latet, tristissimis hisce temporibus, quibus inimici crucis Christi humana divinaque omnia pessumdare ac mores pervertere student, maximam adhibendam esse curam, sollicitudinem, diligentiam ad eorum spiritum, uti par est, probandum, qui vota solemnia Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur, qui saeculi contagione pollutus tamquam ovis morbida electum Christi gregem inficiat, vel verae vocationis expers, et suscepti instituti poeniteat et gravem sodalibus molestiam afferat cum disciplinae perturbatione et regularis observantiae discrimine. Hinc porro evenit, ut qui ex adverso sunt contra regulares familias licet de Christiana et civili republica optime meritas pleno ore blaterent, et culpam, quae

---

cc. Const., *Pontificia*, dat. 27. Maii 1746 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).

Cap. XIX. Sess. XXV. de regular. c. 15. * Digna est, quae hic memoretur, epistola D. N. Pii Papae IX. incipiens, *Ubi primum arcano*, dat. 17. Iunii 1847 ad omnes supremos moderatores abbates, provinciales aliosque superiores regularium ordinum, qua consilium, quod de instauranda regulari disciplina cepit, cum iis communicat, eosque certiores facit de peculari S. R. E. cardinalium congregatione ab ipso instituta, quam, *de statu regularium ordinum*, nominavit. Conf. Pii IX. Pontificis Max. Acta, P. I. Vol. I. p. 46—54.

dd. Literae encyclicae s. congregationis super statu regularium, *Neminem latet*, dat. 19. Martii 1857; Bizzarri, Acta etc. XIX.; Archiv. IX, 437.

** Pro religiosis virorum familiis in ditione imperii austriaci existentibus literis encyclicis supra citatis specialis instructio adiecta fuit tenoris sequentis: Reverendissime Pater. — Mitto ad te decretum, quo de votis simplicibus emittendis ante professionem votorum solemnium in religiosis virorum familiis in ditione sacrae caesareae apostolicae Maiestatis existentibus decernitur. In eo superioribus regularibus facultas tribuitur differendi professionem votorum solemnium etiam expleto triennio votorum simplicium, non tamen ultra vigesimumquintum expletum aetatis annum. Verum pecularia rerum adiuncta exigunt, ut in domibus religiosis in enunciata ditione constitutis professio votorum solemnium differatur iuxta morem et praxim inibi nonnullis ab hinc annis inductam. Quapropter ea est Sanctitatis suae mens ac voluntas, ut superiores regulares facultate eis in dicto decreto attributa, differendi scilicet professionem votorum solemnium, uti debeant iuxta superius memoratum morem et praxim.

paucorum est, in universum coetum conferant. Ex quo non levi religionis damno debita Christiani populi erga religiosas familias opinio et reverentia vel maxime imminuta. Siquidem regulares viri propriae vocationis assidue memores esse debent, et omnium virtutum splendore fulgere atque ex proprii instituti regula nullis curis nullisque laboribus parcere, ut maiorem Dei gloriam ac sempiternam hominum salutem procurare queant. Quod si semper, hisce praesertim temporibus ab ipsis maiore studio et contentione est praestandum, cum populi licet omnigenis insidiantium hominum erroribus fraudibusque misere decepti, tamen et veritatis luce ac sanctissimae nostrae religionis auxilio se maxime indigere sentiant. Quocirca regulares viri, qui auxiliares ecclesiae milites merito semper dicti et habiti sunt, nihil nunc intentatum relinquere debent, aut qua opera, qua voce, qua exemplo errorum tenebras dissipent, hominumque mentes divinae nostrae religionis lumine illustrent, errantes in omni bonitate, patientia ac doctrina ad veritatis et salutis semitas perducant, vitiorum germina radicitus evellant, ac pietatem, religionem omnemque virtutem ubique foveant, excitent ac propagent. Ut autem haec prospere feliciterque agere et consequi valeant, caritatem in primis prae se ferant oportet, quae virtutum omnium parens et altrix, quaeque patiens atque benigna omnia suffert, omnia sustinet; et ideirco necesse est, religiosos ipsos viros arctissimo caritatis vinculo inter se esse coniunctos, quo concordissimis animis consociatisque studiis praeliantes bella Domini et quaerentes unice quae Christi sunt, possint Dei eiusque sanctae ecclesiae regnum magis in dies extendere. Cum igitur ecclesia prudenti quadam oeconomia ingruentibus malis iuxta rerum ac temporum adiuncta provide sapienterque occurrere soleat, SSmus D. N. Pius PP. IX. religiosos ordines praecipua benevolentia prosequens et ab iis huiusmodi mala avertere summopere cupiens rem deferendam voluit ad s. congregationem super statu regularium, ut patres cardinales, rebus accurate discussis, proponerent quidquid in Domino expedire existimassent. Itaque auditis eorumdem cardinalium sententiis universaque rei ratione sedulo perpensa, haec quae sequuntur, quoad religiosas viorum familias, in quibus solemnia vota emittuntur, ex apostolicae auctoritatis plenitudine statuit atque decernit et ab omnibus ad quos spectant, ex obedientiae praecepto observari et executioni demandari districte iubet, et contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis derogat ac plene derogatum esse declarat. Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum s. concilii Tridentini, constitutionum apostolicarum et statutorum ordinis a s. sede approbatorum, novitii vota simplicia emittant, postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino concilio statutam vel aliam maiorem, quae forsan a statutis proprii ordinis a s. sede approbatis requiratur; et quoad laicos et conversos, postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in constitutione Clementis VIII. incipiente „in Supremo“ praefinita est. Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si digni reperiantur, ad professionem

votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa fuerit. Poterit vero superior generalis ac etiam superior provincialis ex iustis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum. Si vero in ordine seu instituto provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam superiori domus novitiatus, de consensu tamen magistri novitiorum et duorum religiosorum, qui in instituto aliquo gradu insigniti sint. Decreta s. congregationis super statu regularium incipientia *„Romani pontifices“* et *„Regulari disciplinae“* anno 1848 promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum et professionem votorum simplicium. Quae de votis simplicibus emittendis superius sancita sunt, servanda erunt relative ad eos, qui post datum praesentium ad habitum admittentur. Haec sunt quae tibi ex mandato Sanctitatis Suae significanda erant, ut ea religiosis tuo regimini subiectis denunties, et interim fausta a Domino adprecor.*

Idem.

ee. *Vota solemnia non fiant nisi post triennium a die, quo vota simplicia emissa sint, computandum. Nulla et irrita declaratur professio votorum solemnium facta a novitiis vel conversis, qui non prius vota simplicia emiserint, et in iis per integrum triennium permanserint.*

Ad universalis ecclesiae regimen, Deo sic disponente, vocati, pro pastorali, qua urgemur, sollicitudine haud praetermisimus ad religiosas quoque familias mentis aciem animique curas intendere, ut eae de Christiana et civili republica optime meritae ad pristinum splendorem revocarentur et incrementum acciperent. Probe autem agnovimus tristissimis hisce temporibus, quibus inimici crucis Christi humana divinaque omnia pessumdare, ac mores pervertere student, maximam adhibendam esse curam, sollicitudinem, diligentiam ad eorum spiritum, uti par est, probandum, qui vota solemnia Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur, qui sacculi contagione pollutus electum Christi gregem inficiat, vel verae vocationis expers susceptique instituti pertaesus gravem sodalibus molestiam inferat

---

* De loco, in quo professio votorum solemnium fieri possit exstat decretum ex audientia Sanctissimi habita die 9. Decembris 1859 tenoris sequentis: Sanctissimus attenta lege de emittendis votis simplicibus die 19. Martii 1857 lata statuit ac constituit, ut literis apostolicis Clementis VIII. aliisque contrariis quibuscunque non obstantibus professi votorum simplicium licete et libere professionem votorum solemnium suo tempore emittere possint in conventu seu domo, in qua reperiuntur, servatis tamen aliis de iure servandis, quin teneantur profiteri in domo peracti novitiatus; benigne annuens, ut praesens declaratio pro omnibus ordinibus et institutis, quae praedicta lege de emittendis votis simplicibus tenentur, suffragetur. Archiv. IX, 441.

ee. Const., *Ad universalis ecclesiae*, dat. 7. Febr. 1862; *Bizzarri*, n. XXVII.; Archiv. VIII, 144 sq.

cum disciplinae perturbatione et regularis observantiae discrimine. Idcirco, audito voto VV. FF. NN. S. R. E. cardinalium congregationis super statu regularium, nonnulla hac super re mandavimus edi decreta, inter quae illud praesertim in praesens commemorandum est, quod per litteras encyclicas die XIX. Martii MDCCCLVII. a ven. fratre archiepiscopo Philippensi, memoratae nostrae congregationis secretario, signatas publicatum est. In praefatis autem litteris haec, quae sequuntur, quoad religiosos virorum ordines ac instituta ex nostro expresso mandato et apostolica auctoritate sancita fuere, scilicet „*Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum s. concilii Tridentini, constitutionum apostolicarum et statutorum ordinis a s. sede approbatorum, novitii vota simplicia emittant postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino concilio statutam, vel aliam maiorem quae forsan a statutis proprii ordinis a s. sede approbatis requiratur, et quoad laicos et conversos, postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in constitutione Clementis VIII. incipiente* „in Supremo“ *praefinita est. Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus jam concessa fuerit. Poterit vero superior generalis ac etiam superior provincialis ex iustis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum. Si vero in ordine seu instituto provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam superiori domus novitiatus, de consensu tamen magistri novitiorum, et duorum religiosorum, qui in instituto aliquo gradu sint insigniti. Decreta congregationis super statu regularium incipien.* „Romani pontifices“ et „Regulari disciplinae“ *anno MDCCCLVIII. promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum et professionem votorum simplicium.*“ Postquam hoc decretum executioni demandatum fuit, ex ipsa experientia comperimus, quantum utilitatis ex eo religiosae familiae retulerint, et referre possint. Verum nuper agnovimus aliquos novitios, praetermissa professione votorum simplicium, ad vota solemnia nuncupanda admissos fuisse, et exinde circa dictorum votorum solemnium validitatem gravia dubia suborta esse. Nos igitur cupientes in re tanti momenti omnem ambigendi causam in posterum removere, motu proprio et certa scientia, deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine, quoad religiosas virorum familias cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti, in quibus solemnia vota emittuntur, statuimus ac decernimus, nullam omnino, irritam et nullius roboris fore professionem votorum solemnium tam scienter quam ignoranter, quovis modo, praetextu et colore factam a novitiis quibuscumque etiam laicis et conversis, qui licet probationem et novitiatum prout de iure expleverint, non emittant prius professionem votorum simplicium, et in ea per triennium integrum non permanserint, quamvis vel a superioribus, vel a novitiis, vel ab utrisque intentio habeatur respective recipiendi ad vota

solemnia et ea emittendi, ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum solemnium praescripti. Haec volumus, statuimus, praecipimus, mandamus non obstantibus, quatenus opus est, constitutione Benedicti XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, regulis, statutis et consuetudinibus cuius ordinis, congregationis et instituti, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis, quamvis specifica et individua mentione dignis, quibus omnibus et singulis illorum tenoribus praesentibus pro insertis habentes ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Decernentes has nostras litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane esse et fore volumus et declaramus.

Idem.

ff. Etiam maiores XXV. annorum aut huic proximi aetati, qui habitum religionis induerunt, expleto novitiatu non nisi post completum ulterioris probationis triennium ad professionem solemnem admitti possunt.

Archiepiscopus Mexicanus humillime exponit, quod Sanctitas V. decreto s. congregationis super statu regularium die 19. Martii 1857 praecepit, ut novitii iam sexdecim annorum, etiam expleto novitiatus anno ad normam Tridentini non alia vota nisi simplicia valeant emittere, dilata emissione solemnium post triennium, si digni tunc reperti fuerint, qui ad professionem admittantur, dummodo ultra XXV. annum eorumdem aetatis non protendatur. Ex expositis sequens dubium subortum est, cuius solutionem a S. V. obsequiosissime expostulat: (3) Qui forte habitum religionis induerint maiores iam XXV. annorum aut huic proximi aetati, possunt, expleto iam novitiatus anno, ad vota solemnia et professionem admitti, an etiam cum similibus exspectandum est ulterioris probationis triennium? Ad haec SSmus rescribendum mandavit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Idem.

gg. Declarationes ad encyclicas literas s. congregationis super statu regularium die 19. Martii 1857 editas exhibentur, quibus agitur praesertim de qualitate voto-

---

ff. Resolutiones dubiorum ab archiepiscopo Mexicano propositorum datae de mandato Pii IX. a secretario s. congregationis super statu regular. die 20. Ian. 1860; *Bizzarri*, l. c. n. XXIII. Archiv. XVI, 376.

gg. Decretum Pii IX. dat. die 12. Iunii 1858; *Bizzarri*, l. c. n. XX; Archiv. XVI, 373 sq.

rum, de eorum dispensatione aut solutione per dimissionem, de privilegiis professorum, de voto paupertatis necnon de abrogatione professionis tacitae.

Sanctissimus D. N. Pius PP. IX., attentis precibus magistri generalis praedicatorum s. Dominici, haec, quae sequuntur, circa naturam et qualitatem votorum simplicium, in encyclicis literis huius s. congregationis super statu regularium die 19. Martii 1857 praescriptorum, et circa obligationes ac privilegia illorum, qui ea emittent, pro eodem ordine praedicatorum* decernenda statuit, prout praesentis decreti tenore apostolica auctoritate decernit atque constituit. I. Vota simplicia, de quibus agitur, perpetua erunt ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient.** II. Eorumdem votorum simplicium dispensatio reservata est Romano pontifici, cui professi gravibus urgentibus causis preces porrigere poterunt. III. Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte ordinis in actu dimissionis professorum, ita ut data dimissione professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant. IV. Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad magistrum generalem ordinis cum suo generali consilio. Idem magister generalis cum suo generali consilio poterit in casibus extraordinariis, et praesertim pro regionibus et locis longinquis, ad dimissionem decernendam subdelegare probos et prudentes religiosos, qui saltem tres esse debent. V. Licet ad decernendam dimissionem neque processus neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta, tamen superiores procedere debent summa charitate, prudentia et ex iustis et rationabilibus causis, quacunque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit. VI. Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent.*** VIII. Anni professionis, qui in dicto ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat et ad

---

* Ad decretum a secretario congregationes verba haec annotata leguntur: „Huiusmodi declarationes extensae fuerunt ad alios ordines, qui eas expostularunt."

** Ad hoc spectat sequens decisio: Bme Pater! Fr. Theophilus a s. corde Mariae, sacerdos professus et novitiorum magister in extincto collegio apostolico B. M. V. de Zapopan in dioecesi de Guadelaxara, sua ductus tristissima experientia aliorumque religiosorum virorum consilio, ut suae conscientiae satisfaciat, proponit dubium: Utrum iuvenes, qui ante exclaustrationem vota simplicia emiserant, ab iis liberi sint reputandi, ita ut si denuo aperiantur monasteria, incipere et prosequi novitiatum debeant iuxta decretum super statu regularium cuius initium, *Neminem latet*, de die 19. Martii 1857? Ex audientia SSmi die 4. Iulii 1862. SSmus proposito dubio respondendum mandavit — Negative. *Bizzarri*, l. c. n. XXVIII; Archiv. XVI, 380.

*** Quae n. VII. de literis dimissoriis a regulari superiore professis huiusmodi concedendis dicuntur supra sub cap. XXVII. k. de temporibus ordin. I, 8 descripta leguntur.

officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur, et professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui conventus, quatenus et prout habent solemniter professi. IX. Professi votorum simplicium dominium radicale, uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et reddituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usufructum et usum quibus placuerit, ac etiam suo ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint. X. Professi votorum simplicium remanere debent in domibus professorii et studiorum et vitam communem perfectam observare. XI. Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est. — Haec Sanctitas Sua statuit atque constituit, contrariis quibuscunque etiam speciali mentione dignis non obstantibus, quibus apostolica auctoritate derogat ac derogatum esse declarat.*

Idem.

hh. De obligatione professorum votorum simplicium quoad officium divinum et observantiam regulae.

Ad dubia proposita: 1. An professi votorum simplicium, quae professioni votorum solemnium iuxta literas encyclicas diei 19. Martii 1857 praemitti debent, teneantur ad officium divinum? 2. An teneantur ad observantiam regulae ordinis prout solemniter professi? — Sanctissimus... respondendum mandavit: ad 1. Non teneri ad privatam recitationem divini officii, debere tamen choro interesse ut solemniter professi. Ad 2. Affirmative, firma declaratione iam data quoad votum paupertatis.

Idem.

ii. De iure suffragii competente professis votorum simplicium in actis capitularibus sui conventus praesertim quando de receptione novitiorum agitur; de iure quod competit capitulo totius conventus vel consilio patrum quoad dimissionem eorum, qui vota simplicia professi sunt.

Fr. Alexander Vinc. Jandel, magister generalis ordinis fratrum praedicatorum, exponit, occasione nuperrimi decreti a s. congreg. super statu regularium die 12. Iunii 1858 apostolica auctoritate editi, nova quaedam in quibusdam sui ordinis conventibus exorta fuisse dubia, quorum solu-

---

* Professio votorum simplicium in familia religiosa non solvit matrimonium ratum non consummatum, sed professio solemnis tantum. Quid agendum, ne alter coniux remanens in saeculo triennium et ultra exspectare teneatur, quin matrimonium consummare aut ad alias nuptias transire possit? Vide infra a. de consang. et affinitate IV, 5.

hh. Declarationes datae 16. Augusti 1858; *Bizzarri*, l. c. n. XXI; Archiv. XVI, 395.

ii. Responsum Pii IX. datum in audientia habita die 7. Februarii 1862; *Bizzarri*, l. c. n. XXVI; Archiv. XVI, 379.

tionem ab eadem s. congreg. enixe et humillime exposcit. 1. Cum ex praefati decreti tenore (num. 8.) professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui conventus quatenus et prout habent solemniter professi, quaeritur an inter huiusmodi actus capitulares recenseantur etiam actus receptionis ad votorum solemnium professionem; nam praeterquam quod votorum simplicium professi non sint de corpore professorum solemniter, contingere potest quod professi simplices numero excedant professos solemnes, et inter eos periculum collusionis enascatur, cum alii post alios vel simul, vel post breve tempus ad solemnem professionem admittendi sint? 2. Utrum reiectio alicuius professi simplicis a maiori parte patrum in consilio, vel totius conventus in capitulo per suffragia secreta prolata, ab ordinis generali magistro, nulla alia intercedente inquisitione aut informatione, haberi possit tamquam legitima et iusta causa aut prudens iudicium, ad hoc ut eiusdem professi votorum simplicium dimissio ab ordine, et eorumdem votorum solutio ab ipso cum suo generali consilio decerni et declarari possit? 3. Et quatenus negative, quaeritur tertio, quid agendum, si patres conventus ad excludendum novitium a professione solemni perseverent, nec ulterius eadem differri possit eo quod viginti quinque aetatis suae annos novitius expleverit? SSmus D. N. Pius IX. in audientia habita die 7. Februarii 1862 ab infrascripto secretario s. congreg. super statu regularium ad suprascripta proposita dubia rescribendum mandavit, nempe ad 1. negative; ad 2. negative; ad 3. Pro admissione ad vota solemnia post expletum triennium votorum simplicium audiri quidem debet capitulum conventuale ad instructionem animi superiorum; minime vero a superiori generali vel ab eius subdelegato standum erit resolutioni eiusdem capituli. Quod si aliunde habeantur legitimae causae ad dimittendos professos votorum simplicium, hoc in casu servanda erunt, quae in articulis IV. et V. declarationum praescripta sunt. — Insuper Sanctitas Sua ea, quae in hoc responso continentur, etiam ad alios ordines et instituta extendit et extensa esse declaravit.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. XX. Renunciatio aut obligatio facta ante duos menses proximos professioni sit nulla. Finita probatione novitii aut profiteantur aut eiiciantur. In pio clericorum societatis Iesu instituto nihil innovetur. Cavetur, ne quid ex bonis novitii monasterio tribuatur ante professionem.

Pius Papa IX.

kk. Renunciatio quam in (citato) capite XVI. sess. XXV. de regularibus *concilium Tridentinum respicit, pro professis votorum simplicium locum habet infra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium.*

Cap. XX. Sess. XXV. de regular. c. 16.

kk. Decretum Pii IX. dat. 1. Augusti 1862; *Bizzarri*, l. c. n. XXIX; Archiv. XVI, 381.

Lata lege de praemittendis votis simplicibus professioni votorum solemnium per encyclicam epistolam huius sacrae congregationis super statu regularium die 19. Martii 1857 nonnullae deinde editae fuerunt declarationes quoad ipsa vota simplicia, et relate ad votum simplex paupertatis constitutum fuit: Professi votorum simplicium dominium radicale, uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et reddituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint. — Nuper vero dubium exortum est, quandonam professi votorum simplicium emittere possint renunciationem, de qua sacrosanctum concilium Tridentinum sess. XXIV. de regularibus cap. XVI. agit, quaque ipsi suarum rerum dominium a se abdicent? Dubio ad SSmum D. N. Pium PP. IX. relato ab infrascripto secretario sacrae congreg. super statu regularium in audientia habita die 1. Augusti 1862, Sanctitas Sua apostolica auctoritate statuit atque constituit, renunciationem, quam in citato capite XVI. sess. XXV. de regularibus concilium Tridentinum respicit, pro professis votorum simplicium locum habere infra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium. Contrariis quibuscunque non obstantibus. Datum Romae eodem die et anno ex secretaria s. congreg. super statu regularium.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. XXI. Puella maior duodecim annis, si habitum regularem suscipere voluerit, exploretur ab ordinario iterumque ante professionem.

Ex eodem.

Cap. XXII. Ne quis praeterquam in casibus in iure expressis cogat mulierem ad ingrediendum monasterium aut ingredi volentem prohibeat. Poenitentium seu convertitarum constitutiones serventur.

Benedictus Papa XIV.

ll. Clerici saeculares in ordines religiosos ingressuri proprio episcopo consilium suum aperiant; sed licentia ingrediendi negata non prohibentur, ne religionem ingredi valeant.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. XXIII. Quomodo in causis deficientium a religione procedendum.

Cap. XXI. Sess. XXV. de regular. c. 17.
Cap. XXII. Sess. XXV. de regular. c. 18.
ll. Const., *Ex quo dilectus*, dat. 14. Ian. 1747 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).
Cap. XXIII. Sess. XXV. de regular. c. 19.

Benedictus Papa XIV.

mm. Concilii Tridentini decretum capite praecedenti laudatum etiam moniales comprehendit. Querela nullitatis professionis religiosae, sive a regulari professo sive ex parte ordinis religiosi intentata fuerit, a superiori regulari et *ordinario loci cognoscatur, si causa intra quinquennium factae religiosae professionis proposita fuerit. Coram iisdem iudicibus causa etiam post elapsum quinquennium agitetur, dummodo intra quinquennium a professo serio intenta, sed deserta fuerit. Quinquennii spatium, intra quod expostulationi locus esse potest, computandum erit a die professionis quolibet in casu, quamvis timor per integrum quinquennii intervallum ac etiam ultra perduraverit. Superior regularis, qui cum ordinario de causa iudicabit, erit moderator seu superior actu existens religiosae domus seu coenobii, in quo expostulans religiosa vota professus fuerit; pro monialibus vero, quae regularibus subiiciuntur, erit superior regularis, cui monasterii regimen commissum fuerit. Huiusmodi vero superiores regulares suum in locum sufficere poterunt ecclesiasticam aliam personam ex clero sive regulari sive saeculari, quae tamen canonici iuris sit perita. Nulli religiosae personae intendere causam fas erit super votorum nullitate, nisi antea constet, illam intra claustra degere ac religiosas iterum induisse vestes, si forte easdem exuerit; ac durante iudicii cursu subdita manebit praepositis regularibus sui ordinis. Probationes extraiudiciales nunquam admittentur; sed vero in forma iuridica erunt acta conficienda, in quibus articuli exhibeantur a persona, quae contra professionis validitatem agit; quaesita autem seu interrogationes proponantur a persona, quae tuetur professionis validitatem. Super exhibitis articulis testes examinandi erunt, nec non super propositis interrogationibus. Acta, quae huiusmodi forma careant, et decisio iis innixa nullitatis vitio laborabunt, haud exclusis vitiis aliis, propter quae ad formam iuris irrita esse queant. Sub eadem poena nullitatis ad quaestionem vocandi erunt atque audiendi patroni seu defensores religiosae domus seu coenobii seu monasterii, in quo expostulans vota professus sit, itemque expostulantis propinqui, et quaelibet alia persona, cui ipse ante professionem bona cesserit vel donaverit, nec non personae, quae tamquam incussi timoris vel auctores vel complices habeantur, si ob metum praesumatur invalida votorum professio, ac denique omnes in causam erunt vocandi, quibus interesse queat votorum seu religiosae professionis validitas. Porro tum in prima quaestione seu causa, tum in sequentibus revisionibus, ab ordinario, ad quem decisio pertinet, vel ab episcopo sive episcopis, cui vel quibus revisio commissa est, inter personas probitate, fide ac iuris canonici scientia praestantes patronus seu defensor religiosae professionis eligetur, prout in causis matrimonialibus, qui praestito iuramento de officio suo recte ac fideliter administrando, tum in adeundo atque assumendo eodem officio, tum in singulis quaestionibus seu causis, ad quas debeat accedere, vocandus et audiendus erit in omnibus et singulis actis tum voce tum scripto; itemque sub poena nullitatis citandus erit ad omnes quaestiones seu causas, et illarum revisiones, quemadmodum praescriptum est in causis de matrimonio. Poenae contra apostatas latae statuuntur adversus regulares,*

---

mm. Const., *Si datam*, dat. 8. Martii 1748 (Bullar. Bened. XIV. T. II.). Conf. Pii IX. const., *Multis gravissimis*, ad episcopos Siciliae datam die 28. Ianuarii 1864, quam in libro de „*Monarchia Sicula*“ nuper a me edito pag. 293 sqq. integram descripsi.

qui post unicam sententiam, sive pendente sive culpabiliter omissa appellatione, e claustris exierint. In secundo et ulteriori instantia causae ad eos iudices devolvantur, ad quos de iure aliae omnes causae spectant, ita ut iudices ulterioris instantiae cum superiori regulari alterius vicinioris monasterii eiusdem ordinis in quo reclamans professus est, causam cognoscere debeant. Quodsi causa ad Romanas congregationes delata fuerit, nullius superioris regularis iudicio locus erit. — Post elapsum quinquennium instantiae pro restitutione in integrum admitti possunt, de quibus tamen iudicium facere ad sedem apostolicam privative pertinet. Quomodo hac in re in Romana curia procedatur, et quae sint defensoris professionis partes exponitur. In iudicio quoque de in integrum restitutione bina sententia affirmativa requiritur, ut reclamans beneficio restitutionis perfruatur.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. XXIV. Superiores ordinum episcopis non subiecti inferiora monasteria visitent atque corrigant, etiam commendata.

Clemens Papa VIII.

nn. *Nullus superior regularis peccatorum absolutiones sibi reservet exceptis iis, quae sequuntur, aut omnibus aut eorum aliquot, videlicet: Veneficia, incantationes, sortilegia, apostasia a fide, nocturna ac furtiva e monasterio egressio, proprietas contra votum paupertatis, iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo, procuratio abortus, falsificatio manus aut sigilli officialium monasterii, furtum, lapsus carnis voluntarius opere consummatus, aperitio literarum superiorum ad inferiores vel inferiorum ad superiores directarum. Si quod aliud praeterea peccatum reservandum videbitur, id non fiat nisi consensu capituli generalis in toto ordine aut provincialis in provincia. Licet tamen superioribus determinare poenitentias graviores quibusdam peccatis etiam non reservatis, quae a confessariis imponendae sunt. Superiores regulares confessiones subditorum non audiant, nisi forte subditi peccatum aliquod reservatum admiserint, aut sponte ei confiteri voluerint. In singulis domibus duo aut plures confessarii deputandi sunt, quibus etiam reservatorum absolutio committatur quando casus occurrerent.* *

Urbanus Papa VIII.

oo. *Generalis regularium potest suos subditos ex quacumque causa ob occultum crimen quomodolibet etiam extraiudiciuliter a confessionibus audiendis suspendere.*

Il Generale de' Teatini supplica l'Eminenze Vostre Rme a degnarsi dichiarare, s'egli possa sospendere i suoi sudditi approvati dai Generali,

---

Cap. XXIV. Sess. XXV. de regular. c. 20.

nn. Const., *Sanctissimus Dominus*, dat. 26. Maii 1593, confirmata ab Urbano VIII; in E. L. IV, 67.

* Ex Urbani VIII. const., *In specula*, dat. 19. Iunii 1630 (in E. L. V, 138) facultas eligendi confessarium virtute bullae Cruciatae aliorumve indultorum regularibus non suffragatur. Conf. infra f. de poenitentiis et remiss. V, 17.

oo. Declaratio congregationis episc. et regul. dat. 2. Iulii 1627. Textus a cardinali Bizzarri nuper ex originali restitutus est. Archiv. XV, 456. Alia decreta de confessariis regularium vide infra c. 5. sqq. de poenitent. et remiss. V, 18.

suoi antecessori alle confessioni per delitti anche occulti... anco extragiudiziali, e com'è stato senso del capitolo generale, che facci pel buon governo della sua religione. S. congr. [nos] regul. praeposita censuit generalem posse suos subditos ex quacunque causa ob occultum crimen quomodolibet etiam extraiudicialiter a confessionibus audiendis suspendere.

Pius Papa IX.

pp. Religiosus non approbatus iuxta leges proprii ordinis a suo superiore, vel etiam ipso invito, cum sola facultate ordinarii illicite sed valide excipit saecularium confessiones. Superiores regulares iurisdictionem habentes possunt suos subditos, — etiam oretenus, dummodo fiat per modum praecepti particularis — suspendere ab audiendis saecularium confessionibus, ita ut religiosus ab ordinario loci approbatus illicite sed tamen valide absolvat, nec incurrat irregularitatem hoc modo absolvendo.

Procurator generalis o. praedicatorum, Fr. Marianus Spada humiliter S. V. exponit, a legibus praefati ordinis praescribi „ut si provinciales noverint aliquos religiosos insufficientes et minus idoneos ad confessiones saecularium audiendas, omni seposito humano respectu, eos suspendant, conscientia in diem iudicii onerata si ineptos ministros eo in officio substituerint"... (Citatur decretum supra laudatum.) His non obstantibus apud aliquos opinio invaluit, non posse superiores regulares subditos suos suspendere ab audiendis saecularium confessionibus sub praetextu, quod potestas iurisdictionis non recipitur a superioribus regularibus sed ab episcopo vel ordinario. Unde contempta superiorum auctoritate et sola facultate ordinarii obtenta sacramentum poenitentiae administrant. Ne igitur sacramentum nullitati exponatur et regularis disciplina enervetur, quaeritur: I. An religiosus non approbatus iuxta leges proprii ordinis a suo superiore, vel ipso invito, cum sola facultate ordinarii valide excipiat saecularium confessiones? II. An superiores regulares iurisdictionem habentes possint suos subditos suspendere ab audiendis saecularium confessionibus etiam ex informata conscientia? III. An valeat suspensio oretenus et absque scripto enunciata? IV. An absolutio impertita ab eo, qui tali suspensione est innodatus, sit valida? Et si invalida: V. An qui huiusmodi absolutionem attentat, irregularitatem incurrat? S. congr. respondit: Ad I. affirmative. Ad. II. affirmative, ita ut religiosus illicite sed tamen valide confessiones excipiat. Ad III. affirmative, cum feratur per modum praecepti particularis. Ad IV. affirmative. Ad. V. Provisum in praecedentibus.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. XXV. Monasteria regularibus conferantur. Ordinum capita nemini in posterum commendentur.

---

pp. Decretum s. congr. episc. et regular. dat. mense Februar. 1866. Archiv. XV. 456.
Cap. XXV. Sess. XXV. de ref. c. 21.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. XXVI. Quae in sessione XXV. concilii Tridentini de reformatione regularium constituta sunt nulla mora interposita observentur.

Pius Papa V.

Cap. XXVII. Omnes in congregationibus, conventibus vel domibus in communi et sub obedientia voluntaria et extra votum solemne viventes aliquam regulam ex approbatis eligere debent, in qua trium votorum substantialium professionem regularem emittere teneantur. Status, in quo antea vixerunt, omnino tollitur.

Benedictus Papa XIV.

qq. *Vota simplicia in congregatione Missionis emissa a nemine, nisi Romano pontifice, aut a superiore generali congregationis in actu dimissionis tantum, dissolvi posse statuitur.* *

Pius Papa V.

Cap. XXVIII. Indulta omnia praeter iuris communis dispositionem concessa recipiendi religiosos professos aliorum ordinum etiam laxiorum, revocantur. Episcopi in recipientes vel retinentes eiusmodi regulares non obstante praesente decreto animadvertant.

Idem.

Cap. XXIX. Episcopis locorum tanquam delegatis apostolicae sedis tribuitur facultas visitandi ecclesias, rectores et ministros fratrum militum s. Joannis Hierosolymitani in iis omnibus, quae animarum curam eiusque exercitium et sacramentorum administrationem respiciunt, necnon exercendi omnes actus visitationem concernentes.

Gregorius Papa XIII.

Cap. XXX. Facultas episcoporum, visitandi ecclesias et rectores ecclesiarum fratrum militum s. Ioannis Hierosolymitani ad solam curam animarum atque administrationem sacramentorum respicit. De cetero nemo fratres praedictos contra suorum privilegiorum tenorem vexare audeat.

Cap. XXVI. Sess. XXV. de regular. c. 22.

Cap. XXVII. Const., *Lubricum vitae*, dat. 17. Nov. 1568, §. 1 (in compendium redacta), §. 2 a verbo „Quodsi“; in E. L. n. 76, II, 291.

qq. Const., *Quo magis*, dat. 18. Dec. 1742 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

* De dispensatione votorum simplicium, quae in ordinibus regularium emittuntur, vide supra cap. XIX. gg. h. t. Dispensatio votorum simplicium, quae in congregationibus vel institutis emittuntur, ad apostolicam sedem spectat. Conf. *Bizzarri*, Methodus, quae a s. congregatione episcoporum et regularium servatur in approbandis novis institutis votorum simplicium, Animadvers. II, V, VII, IX, X.

Cap. XXVIII. Const., *Quaecunque*, dat. 11. April. 1569, §. 1—5; §. 1. in compendium redacta fuit; in sequentibus paragraphis aliqua, sed non essentialia omissa sunt; in E. L. T. II., pag. 309.

Cap. XXIX. Const., *Exposcit pastoralis*, dat. 21. Sept. 1571, §. 3—6; in E. L. n. 136, II, 370.

Cap. XXX. Const., *Consuevit sedes*, dat. 7. Januar. 1584; in E. L. non exstat; in editione Romana a. 1586 est inserta sub numero LXXXVIII.

Benedictus Papa XIV.

rr. Canonici regulares et moniales ordinis Praemonstratensis ab omni iurisdictione et visitatione ordinariorum exemti declarantur.

Sixtus Papa V.

Cap. XXXI. Fratribus minoribus s. Francisci de observantia ad fratres capuccinos transire non licet, nec capuccinis eiusmodi professos fratrum de observantia recipere nisi praevia speciali summi pontificis licentia.

Clemens Papa VIII.

Cap. XXXII. Nullus illegitime natus ad habitum vel professionem regularem admittatur, nisi praevia inquisitione de ipsius vita, moribus et idoneitate ex testimoniis fide dignis constiterit, eum esse ipsius zelum religiosum atque indolem, ut defectum natalium suppleat. Recipiatur in generali vel provinciali capitulo. Ex terra remota vel ab haereticis oppressa venientes recipiantur etiamsi de omnibus supra requisitis non liquido constet, dummodo adhibita diligentia nihil appareat quod eos impediat. Nullus illegitimus in religione, in qua pater professus fuerit, patre vivente admittatur, sub poena nullitatis professionis. Maiores XVI. annis non recipiantur, nisi prius inquisitione de eorum parentibus vita et moribus facta appareat, eos nec criminosos, nec aere alieno supra facultates gravatos vel reddendis rationibus obnoxios existere. Professio facta sine praevia inquisitione et praescriptae formae observantia nulla sit. Regulares aliunde sine licentia vel literis superiorum suorum venientes in domibus vel familiis regularium omnino non recipiantur. Quae ita constituta sunt, moniales non comprehendunt.

Sixtus Papa V.

ss. Illegitimi ex incestu vel sacrilegio procreati in ordine aliquo neque ad habitum neque ad professionem religiosam regulares admittantur. Inhabiles omnino declarantur tum ad habitum professionemve tum ad clericalem characterem vel ordines quoscunque etiam minores et ecclesiastica beneficia. Professio ab ipsis facta nulla sit et irrita; superiores regularium eos recipientes excommunicantur. Ad habitum conversorum tantum illegitimi huiusmodi admitti possunt. Ceteri illegitimi non ex incestu vel sacrilegio procreati ad religionem admitti possunt, dummodo praevia inquisitione et testimoniis fide dignis de eorum vita anteacta, integritate, zelo et indole constet, eos dignos esse et religioni profuturos videri. In generali vel provinciali capitulo unanimi consensu approbentur. Neque tamen ipsi ad gradus et dignitates sui ordinis obtinendas habiles sint, nisi cum iis a sede apostolica dispensatum fuerit, sublatis quibuscunque privilegiis ordinibus in

---

rr. Const., *In supereminenti*, dat. 27. Julii 1753 (Bullar. Bened. XIV. T. IV.).

Cap. XXXI. Const., *Pro ea quam*, dat. 1. Febr. 1586, §. 1, 2; in E. L. n. 20, II, 557.

Cap. XXXII. Nulla inter constitutiones a Clemente VIII. editas exstat, ex qua decretalis nostra descripta sit. Non dubito quin adhibitis constitutionibus Sixti V. et Gregorii XIV., quas in textu citabimus, a congregatione cardinalium tanquam nova sit conflata, quae a Clemente VIII. auctoritatem receptura esset, sed revera non recepit.

ss. Const., *Quum de omnibus*, dat. 26. Nov. 1587; in E. L. n. 71, II, 656.

hac parte concessis. Maiores XVI. annis non recipiantur nisi praevia inquisitione de eorum vita et moribus constiterit, eos nec criminosos aut aere alieno gravatos aut reddendis rationibus obnoxios existere. (Reliqua ut in summario praecedenti leguntur.)

Idem.

tt. *Nonnullae constitutionis praecedentis partes declarantur. Appellatione dignitatum, honorum, graduum, a quibus illegitimi arcentur, intelliguntur praepositatus, abbatiatus, prioratus, guardianatus, custodiatus, provincialium ac generalium superiorum officia et alia his similia cum honore et superioritate coniuncta; minime vero lectoris, confessarii, studiorum et sacrae theologiae magistri. Nec a voce activa sive ordinibus arcentur illegitimi, dummodo ex incestu vel sacrilegio procreati non sint.*

Gregorius Papa XIV.

uu. *Constitutiones Sixtinae laudatae in ea parte, qua illegitimi ex incestu vel sacrilegio procreati ad habitum vel professionem regulares non admittuntur, ad terminos iuris reducuntur, ita ut, sicut ante istas constitutiones fas erat, quovis modo illegitimi procreati ad habitum et professionem admitti possint. Insuper religionibus privilegia olim concessa legitimandi etiam ad honores, gradus et dignitates restituuntur. Legi tamen scrutinii non derogatur, sed ea pro aliquibus casibus declaratur.*

Clemens Papa VIII.

vv. *Sixtinae supra laudatae constitutioni derogatur quoad poenam nullitatis professionum, quae fiunt sine praevio scrutinio et praescriptae formae observantia. De cetero firmam manere debere formam scrutinii et poenas contra superiores latas statuitur.*

Idem.

xx. *Novitii ad habitum regularem non admittantur, nisi in conventibus auctoritate summi pontificis in unaquaque provincia designandis. Receptiones vel professiones factae non observato hoc decreto nullae sint et irritae. In superiores contravenientes poenis animadvertitur.* *

Innocentius Papa XII.

yy. *In unaquaque provincia destinandus est conventus, in quo vita communis servatur et novitii recipiantur. In his conventibus optimi religiosi professi collocentur in eo numero, cui facultates ad vitam necessaria suppeditent. Quae de educandis novitiis, etiam professis, observanda sint, describuntur. In futuris monasteriorum fundationibus vita communis statuatur et omnino observetur.*

---

tt. Const., ***Ad Romanum spectat***, dat. 21. Octobr. 1588; in E. L. n. 71, II, 656.
uu. Const., ***Circumspecta***, dat. 15. Martii 1591; in E. L. n. 3, II, 757.
vv. Const., ***In suprema ecclesiae***, dat. 2. April. 1602; in E. L. n. 83, III, 144.
xx. Const., ***Regularis disciplinae***, dat. 12. Mart. 1596; in E. L. III, 144.
* Decretum hoc et sequentia pro Italia et insulis adiacentibus tantum data sunt.
yy. Const., ***Sanctissimus in Christo pater***, dat. 18. Julii 1695; in E. L. VII, 275.

Clemens Papa VIII.

zz. Novitii ad habitum recipi nullatenus possint vel admitti nisi prius ab ipsa congregatione apostolica vel a propriis locorum ordinariis, in quorum dioecesi novitiatus existunt, in quibus novitii recipiendi fuerint, expresse et nominatim novitii ipsi recipiendi approbati fuerint, et ut admitti possint, licentiam in scriptis obtinuerint.

Idem.

a'. Forma et methodus in recipiendis et educandis novitiis observanda praescribitur. Ultra qualitates et conditiones a s. canonibus et apostolicis constitutionibus, imprimis Sixti V. et moderationum subsecutarum requisitas, nemo recipiatur, qui ex honestis parentibus natus non sit; in ea sit aetate, quam constitutiones ordinis requirunt, eamque calleat scientiam aut illius addiscendae spem indubiam prae se ferat, ut minores et suis temporibus maiores ordines suscipere valeat. Si quis annum vigesimum quintum excedens ad habitum regularem admitti postulaverit et talis eruditionis expers inventus fuerit, in conversorum tantum, quibus literarum scientia non est necessaria, numerum referatur; ipsi autem conversi non recipiantur ante vigesimum aetatis suae annum et nisi saltem praecipua doctrinae Christianae capita noverint. Superiores exquirant, quo spiritu vitam regularem eligant. Novitii, etiam conversi, priusquam admittantur, de regula quam professuri sunt, de tribus votis essentialibus statuque regulari instruantur. Novitiatuum forma et magistrorum novitiorum munus describitur. Novitii professi in locis collocentur segregatis ab habitatione antiquorum professorum.

Pius Papa IX.

b'. Certae stabilesque leges constituuntur, quae in admittendis novitiis ad habitum et professionem servari omnino debent.

Regulari disciplinae instaurandae, ubi collapsa fuerit, vel servandae, ubi vigeat, nihil magis conducit, quam in admittendis novitiis ad habitum et ad professionem maximam curam adhibere, ut ii tantum recipiantur, qui superna vocatione ducti, morum honestate ceterisque dotibus praediti religionem ingrediuntur cupientes Deo servire, mundi pericula evitare et spirituali proximorum saluti qua exemplo qua opere ad praescriptum instituti, quod profitentur, consulere. Ex novitiis enim religionis bonum vel malum prorsus pendet; quandoquidem hi sunt religionum semina, hi sunt palmites Dei vineam novellantes; sed si semina, si novitiae vites infectae sint, nonnisi fructus mali colligi possunt. Quapropter romani pontifices et

---

zz. Const., ***Sanctissimus in Christo***, dat. 20. Junii 1599; in E. L. III, 144 sq.

a'. Const., ***Quum ad regularem***, dat. 19. Martii 1603; in E. L. III, 146. Decreta haec generalia ad novitiorum receptionem, professionem et institutionem spectantia ab Urbano VIII. confirmata sunt. Conf. in E. L. IV, 62 sqq. Alia de eadem re a posterioribus summis pontificibus lata citantur in constitutione Pii IX. in capite sequenti descripta.

b'. Decretum s. congregationis super statu regularium auctoritate summi pontificis Pii IX. die 25. Januarii 1848 editum, quod incipit, ***Regulari disciplina***; *Bizzarri*, Acta n. VIII.; Archiv. XVI, 353, sqq. Quod decretum, quamquam pro Italia et insulis adiacentibus tantum latum sit, ubique locorum pro instruendis superioribus regularium magni momenti habendum est.

praesertim Sixtus V.[1], Clemens VIII.[2], Innocentius X.[3] et Innocentius XII.[4] saluberrima edidere decreta, quibus leges in admittendis novitiis servandae constituebantur. Cum igitur Sanctissimus D. N. Pius PP. IX. ab ipsis pontificatus sui primordiis pastoralis vigilantiae studia convertenda esse duxerit ad religiosarum familiarum disciplinam totis viribus promovendam, praedecessorum suorum vestigia sectando certam stabilemque legem constituendam esse existimavit, quae in admittendis novitiis ad habitum et professionem servari omnino deberet. Re igitur demandata s. R. E. cardinalibus huius s. congregationis de statu regularium a sanctitate sua institutae, eminentissimis patribus, universa rei ratione sedulo diligenterque perpensa, necessarium visum est in admissione novitiorum ad habitum et professionem partes concedendas esse nedum inferioribus praelatis et superioribus generalibus, verum etiam nonnullis aliis religiosis viris probatae vitae regularis disciplinae zelo ferventibus, consilio et gravitate praestantibus, ut eorum, qui religiosae familiae nomen daturi sint, indolem, ingenium, mores, ceterasque necessarias dotes accurate explorent et sedulo investigent, quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ducantur, et eos tantum probent, quos secundum Deum idoneos esse revera constiterit. Sententiae s. congregationis Sanctissimus in Christo pater inhaerens ea, quae sequuntur, pro Italia et insulis adiacentibus hoc perpetuis futuris temporibus valituro decreto apostolica sua auctoritate statuit atque decernit.

Pars prima decreti. *De lege servanda in probandis iis, qui ad habitum religiosum admitti postulant.* Art. I. Qui duplici scrutinio iuxta modum inferius exprimendum probatus non fuerit ad habitum nullo prorsus modo admittatur in quocumque ordine, congregatione, societate, instituto, monasterio, domo, sive in iis emittantur vota solemnia sive simplicia, et licet agatur de ordinibus, congregationibus, societatibus, institutis, monasteriis ac domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore iuris clauso vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua et expressa mentio fiat. — Art. II. In qualibet provincia habeantur octo examinatores, scilicet provincialis et septem alii idonei religiosi probatae vitae, prudentia, gravitate ac zelo disciplinae regularis praediti a capitulo seu congregatione provinciali per secreta suffragia eligendi, ita tamen, ut si in provincia sint definitores, vel consultores, vel assistentes, vel alii, quocumque appellentur nomine, consiliarii provinciales, duo ex ipsis in examinatores deligantur. Examinatores in praefato munere usque ad novum provinciale capitulum seu congregationem perdurabunt. — Art. III. Cum aliquis ad habitum recipi postulaverit, pro-

---

[1] Const., *Quum de omnibus*, a. 1587.

[2] Decret., *Sanctissimus in Christo*, diei 19. Maii 1602.

[3] Instr., *Ad propagandam*, diei 5. Nov. 1654.

[4] Decr., *Sanctissimus in Christo*, diei 18. Julii 1695.

vincialis omnia exquirat documenta et requisita ad praescriptum ss. canonum, constitutionum apostolicarum, decretorum ss. congregationum ac statutorum ordinis, et diligenter inquirat circa illius qualitates, utrum nempe ab omni defectu et impedimento immunis sit et necessariis dotibus praeditus, religioso statui idoneus, ac etiam an amore perfectioris vitae et Deo liberius in religione serviendi, seu potius levitate aut necessitate vel alio inordinato fine ductus admitti postulet. Deinde omnia praefata documenta et informationes tradat saltem tribus ex provincialibus examinatoribus, exclusis iis, qui postulanti sint consanguinei vel affines, ut eas absque ullo partium studio serio perpendant. Indicto examinis die provincialis cum delectis ab ipso examinatoribus conveniet, et postquam ipse et alii examinatores iuraverint ad sancta Dei evangelia, se quacunque humana affectione postposita fideliter munus executuros, postulantem examinent, eoque ab examinis loco demisso, eius documenta, qualitates et requisita, aliaque, quae superius notata sunt, serio expendant et deinceps per secreta suffragia iudicent an dignus sit, qui approbetur, super quibus omnibus provincialis et aliorum examinatorum conscientia graviter onerata remaneat. Is autem probatus dumtaxat intelligatur, qui saltem unum suffragium supra medietatem obtinuerit. Si postulans praefato scrutinio probatus fuerit, examen et scrutinium scripto fideliter exaratum provincialis et unusquisque ex examinatoribus manu propria subscribet declarando etiam sese omnia requisita a ss. canonibus, constitutionibus et decretis apostolicis et regulis et statutis respectivi ordinis praescripta debito modo examinasse; huiusmodi vero relationem examinis et scrutinii et respectivam declarationem iureiurando confirment. Quibus peractis provincialis praefatam relationem et declarationem una cum authenticis documentis ad superiorem generalem vel ad procuratorem generalem, prout inferius in artic. XI. explicabitur, transmittet. Ne autem huius decreti executio differatur usque ad celebrationem proximi capituli vel congregationis provincialis, interim examinatores provinciales eligantur per secreta suffragia a provinciali una cum suis definitoribus vel assistentibus vel aliis consiliariis provincialibus; et si huiusmodi definitores, assistentes, consiliarii in aliquo ordine desint, electio fiat a provinciali una cum quatuor religiosis graduatis vel gravioribus, si graduati desint, eiusdem provinciae ab eodem provinciali deputandis. — Art. IV. In ordinibus aliisque institutis, in quibus provinciales non existunt, vel provincialia capitula seu congregationes non celebrantur, examinatores pro unaquaque domo novitiatus eligantur iuxta superius praescriptam methodum a capitulo, dieta seu congregatione generali, et superior eiusdem domus loco provincialis habeatur, cuius erit convocare examinatores et alia peragere, quae in art. III. statuta sunt. Verum cum hoc in casu ob pauciorem religiosorum numerum contingere possit, ut septem examinatores eligi minime valeant, examinatores numero minores, non tamen citra quatuor, eligi poterunt. Si autem huiusmodi capitula, dietae et congregationes generales statim non convocentur, interim electio

examinatorum fiat iuxta modum in art. V. designandum. — Art. V. Si institutum constet aliquo tantum separato monasterio, conventu vel domo, nec in congregationem erectum sit, et capitulum, dietam, congregationem generalem minime habeat, examinatores capitulariter per secreta suffragia a superiore et capitularibus eiusdem monasterii, conventus, vel domus eligantur; et quoad eorum numerum serventur, quae in art. IV. definita sunt, ac in officio ad triennium perdurent. — Art. VI. Praeter memoratos examinatores provinciales in quolibet ordine, congregatione, societate, instituto alii septem examinatores generales constituantur, qui tamen ad quatuor reduci poterunt in iis ordinibus et institutis, in quibus ob pauciorem religiosorum numerum septem haberi nequeant. Hi ex gravioribus et prudentioribus religiosis viris probatae vitae ac zelo regularis disciplinae praeditis per secreta suffragia in capitulo, dieta vel congregatione generali eligentur, ita tamen ut si agatur de ordine, in quo sint definitores, assistentes, consultores, visitatores vel alii consiliarii generales, duo ex ipsis in examinatores deputentur. Examinatores generales in officio usque ad futurum capitulum, dietam vel congregationem generalem perdurabunt. Superior generalis erit praeses cum suffragio in consilio examinatorum, et procurator generalis uti examinator natus praeter electos habendus erit. — Art. VII. Examinatores generales in intervallo, quod intercedet a data huius decreti usque ad celebrationem proximi capituli, dietae vel congregationis generalis, eligantur per secreta suffragia a superiore generali una cum saltem tribus religiosis graduatis seu gravioribus ordinis ab eodem generali superiore deputandis et deligendis ex definitoribus, visitatoribus, assistentibus vel consultoribus generalibus si adsint. — Art. VIII. Si agatur de instituto, quod constituatur ex aliquo tantum separato monasterio, conventu, domo, nec in congregationem erecto, et praeter localem alius maior superior non habeatur, superior localis probum et idoneum deputet religiosum, ut primum scrutinium, de quo in art. III., perficiat cum examinatoribus electis iuxta art. V., et ipse superior localis cum iis capitularibus eiusdem domus, qui locum in eodem primo scrutinio non habuerunt, secundum scrutinium in art. X. praescribendum exequetur. — Art. IX. Quod vero attinet ad ordines et instituta, quae licet in congregationem et societatem erecta sint, tamen in iis capitula, dietae et congregationes generales vel non celebrantur vel raro convocantur, in iisdem ordinibus et institutis auctoritas, quae capitulis, dietis et congregationibus generalibus circa electionem examinatorum superius attributa est, conceditur superiori generali cum definitoribus, visitatoribus, assistentibus, consultoribus aliisque, quocunque nomine appellentur, consiliariis generalibus, ita tamen ut si definitores, assistentes aliique consiliarii generales non sint saltem quatuor, superior generalis alios graves idoneos religiosos eis adiungat ad enunciatum saltem numerum constituendum; quae religiosorum deputatio potiori ratione fieri debeat si in ordine et instituto definitores, assistentes aliique consiliarii generales non reperiantur. Quibus in casibus electio examina-

torum fiat per secreta suffragia quolibet triennio, nec electores teneantur duos definitores, assistentes vel alios consiliarios generales inter examinatores adnumerare. — Art. X. Cum autem superior generalis relationem examinis et scrutinii ac enunciatam superius declarationem cum authenticis documentis ad praescriptum art. III. receperit, ipse omnia accurate percurrat ac per singulas partes expendat, per secretas etiam inquisitiones sedulo investigando, num tenor huius decreti servatus fuerit et an adversus candidatum et primum scrutinium aliqua exceptio inveniatur. Quibus peractis superior generalis praefatam relationem, declarationem et documenta ac requisita tradat procuratori generali et saltem aliis duobus examinatoribus generalibus, qui cum candidato nullo consanguinitatis vel affinitatis vinculo coniuncti sint; et quatenus procurator generalis non adsit, tribus saltem examinatoribus generalibus, ut omnia perpendant iuxta modum in art. III. designatum. Postea vero indicto die conveniant et praestito tam a superiore generali quam a procuratore generali et ceteris examinatoribus, ut supra, iuramento reque mature perpensa per secreta suffragia definiant an approbatio facta in primo scrutinio confirmanda sit vel revocanda, super quibus omnibus conscientia superioris et examinatorum graviter onerata remaneat. Tunc autem approbatio confirmata intelligatur, quando eius favore saltem unum suffragium supra medietatem habeatur. — Art. XI. Si superior generalis Romae non resideat, acta, de quibus in art. III., ad procuratorem generalem Romae morantem transmittenda erunt (valde enim expedire visum est secundum scrutinium Romae fieri), dummodo tamen idem procurator tres saltem examinatores generales Romae habeat vel eos ad Urbem commodo vocare possit. Quo in casu quoad praemissa omnia vices superioris generalis gerat. Quod si examinatores generales nec Romae degant nec commode vocari possint, eadem acta ad superiorem generalem, etsi alibi moretur, transmittantur, ut ea peragat quae in art. III. statuta sunt. — Art. XII. Superior generalis, sive ipse sive procurator generalis secundo scrutinio praefuerit, poterit candidatum ex iustis et rationabilibus causis reiicere, licet fuerit ab examinatoribus in utroque scrutinio probatus; nunquam vero admittere eum, qui fuerit ab examinatoribus reprobatus. — Art. XIII. Ut vero candidatus definitive ad habitum recipiatur, praeter praescriptam legem et formam, cui omnes omnino sese conformare debent, servanda etiam erunt, quae a constitutionibus et statutis respectivi ordinis circa receptionem ad habitum ulterius praescribuntur, in ea tamen parte dumtaxat, quae huic decreto non opponitur. — Art. XIV. Superiores quolibet semestri ad hanc s. congregationem super statu regularium summarie referant de singulis novitiis ad habitum receptis, de uniuscuiusque aetate, patria aliisque qualitatibus et respective documentis necnon de actis confectis pro receptione deque observantia huius decreti.

Pars secunda decreti. *De lege servanda in admittendis novitiis ad professionem.* Art. I. Quicunque ex religiosis et novitiis alicuius ordinis, congregationis, societatis, instituti, monasterii, domus, de quibus part. I.

art. I., cognoverit novitium sui instituti aliquo impedimento vel gravi defectu praepeditum esse ad religiosum statum rite assumendum, impedimentum ipsum et defectum superiori conventus novitiatus vel provinciali vel superiori generali manifestare teneatur. Superiores vero denunciantis nomen secretum retineant. Art. II. Prope terminum cuiusque trimestris novitiatus magister novitiorum provinciali de agendi ratione cuiusque novitii referat. Art. III. Duobus mensibus ante professionem provincialis sive per se sive per alium idoneum religiosum sibi bene visum novitii voluntatem diligenter exploret an coactus an seductus sit, quo spiritu ad statum religiosum ductus, an sciat quid agat, an obligationes status religiosi et regulae agnoscat; secreto audiat tum magistrum novitiorum tum novitios nec non religiosos etiam conversos conventus seu domus novitiatus circa novitium ad professionem admittendum. Quo facto capitulum conventuale eiusdem conventus seu domus convocet, ut capitulares per secreta suffragia declarent, an novitius ad professionem admitti possit. Deinceps omnium actorum et resultantium relationem scripto exaratam propria manu subscribat, quin tamen eos, qui secreto deposuerint, ullo modo in aliquod discrimen adducat. Art. IV. Huiusmodi relationem provincialis tribus saltem examinatoribus provincialibus communicet, et condicto die convocet praefatos examinatores et novitiorum magistrum, et praestito ab omnibus superius enunciato iuramento, magister novitiorum referat de novitii agendi ratione in novitiatu servata, de eius libertate, vocatione et idoneitate ad statum religiosum et declaret utrum ipse in Domino existimet novitium ad professionem tuto admitti posse. Si vero magister novitiorum vel ratione distantiae vel alia legitima causa ad locum scrutinii commode accedere nequeat, transmittat super praemissis relationem in scriptis illamque iuramento confirmet et propria manu subscribat. Provincialis deinceps et examinatores per secreta suffragia definiant, an novitius necessariis dotibus praeditus sit, ut ad professionem tuto admitti possit, super quo eorum conscientia graviter onerata remaneat. Art. V. Si novitius probatus fuerit, provincialis de omnibus instructum reddat superiorem generalem, qui ulterioribus informationibus, quatenus necessarium iudicaverit, requisitis, approbationem revocet vel confirmet, prout in Domino iudicaverit, quin tamen unquam permittere possit professionem novitii, qui ab examinatoribus provincialibus reprobatus fuerit. Art. VI. In iis institutis, in quibus provinciales non existunt, sint illorum loco ad effectum, de quo agitur, superiores domus novitiatus. Art. VII. Si quid ulterius exigant constitutiones et regulae alicuius ordinis et instituti in admittendis novitiis ad professionem, id servandum etiam erit in ea dumtaxat parte, quae tenori huius decreti minime contraria sit. — Ut autem suprascriptum decretum quoad utramque eius partem executioni omnino demandetur, Sanctitas Sua omnibus ad quos spectat etiam in virtute s. obedientiae districte praecipit plenam illius observantiam, et quemlibet superiorem cuiuscunque gradus sit et instituti quantumvis exempti et privilegiati etiam de necessitate exprimendi,

qui non servata huius decreti forma novitium ad habitum vel professionem receperit, poenae ipso facto incurrendae privationis omnium officiorum vocisque activae et perpetuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda plane subiicit, a qua nonnisi ab apostolica sede poterit dispensari. Mandat etiam singulis superioribus idem decretum quolibet anno in omnibus monasteriis, conventibus, collegiis et domibus die prima Ianuarii et dominica prima Iulii in publica mensa legi sub poena privationis officii ac vocis activae et passivae ipso facto incurrenda. Decernit insuper vi cuiuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum et constitutionum etiam in forma specifica, quam ab apostolica sede aliquis ordo, institutum, superior, religiosus consequeretur, nunquam huic decreto derogatum esse censeri, nisi ei expresse et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales quantumvis amplae apponantur; quod si alicui instituto expresse et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi posse vi cuiuscunque privilegii et communicationis privilegiorum. Tandem Sanctitas Sua, ne huius decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu impediatur, quibuscumque in contrarium facientibus constitutionibus regulis et statutis cuiusvis ordinis, congregationis, societatis, instituti, monasterii, domus etiam in forma specifica ab apostolica sede approbatis, nec non cuilibet privilegio licet in corpore iuris clauso et apostolicis constitutionibus ac decretis confirmato ac expressa, individua, speciali et specialissima mentione digno aliisque contrariis quibuscunque apostolica auctoritate prorsus derogat et derogatum esse declarat.*

* Ad dubium super decreto allato exortum, an sit nulla vel tantum illicita professio facta non servata *prius* forma decreti ‚*Regulari disciplinae*' responsum est approbante summo pontifice die 16. Januarii 1852: Esse tantum illicitam, non vero nullam; *Bizzarri*, l. c. X.; Archiv. XVI, 363. Ad nonnulla alia dubia die 1. Maii 1851 e s. congreg. super statu regularium prodierunt „*Declarationes super decreto, Regulari disciplina, in Italia et insulis adiacentibus servando*", quarum praecipuae sunt sequentes: Si superior generalis alicuius ordinis, in quo provinciales non habeantur, sit eodem tempore superior conventus, ad primum scrutinium perficiendum deputet probum et idoneum religiosum, et una cum praescriptis examinatoribus primum scrutinium perficiat (1). Ad dubium (5): Utrum in ordinibus et congregationibus, quae licet habeant capitula provincialia, tamen religiosorum inopia laborant, eligendi sint septem examinatores vel quatuor tantum sufficiant, responsum est: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Ut vero omnis ambigendi causa, quae ex erronea decreti interpretatione originem habet, auferatur, sciant omnes ad quos pertinet, in ordinibus tam amplis quam exiguis sufficere tres examinatores provinciales praeter superiorem provincialem ad primum scrutinium, et tres examinatores generales praeter superiorem generalem ad secundum scrutinium peragendum, et alios examinatores ad opportunitatem et commoditatem eligendos esse. Porro (ad dub. 6) declaratur, provincialem cum tribus examinatoribus posse postulantem ab accessu personali ad locum primi scrutinii ob loci distantiam vel aliam rationabilem causam dispensare atque religiosum sui ordinis, quem idoneum existimaverint, ad examen perficiendum deputare. *Bizzarri*, l. c. n. X.; Archiv. XVI, 360. Instructio pro examine personali eorum, qui ad habitum admitti postulant, adiungitur *Bizzarri*, l. c. n. XV.; Archiv. XVI, 367. Conf. *Bizzarri*, n. XVI., XVII.; Archiv. XVI, 369 sqq.

Pius Papa IX.

c'. *In quocunque ordine vel congregatione, sive in iis emittantur vota solemnia sive simplicia, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus literis tum ordinarii originis tum ordinarii eius loci, in quo postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum commoratus fuerit. Quid in huiusmodi literis exponendum sit declaratur.*

Romani pontifices pro eorum pastorali cura, qua semper regularium familiarum bono et splendori prospicere non omiserunt, illud superioribus pro viribus commendarunt, ut antequam ad religiosum habitum postulantes reciperent, de illorum vita, moribus ceterisque dotibus et qualitatibus sedulo inquirerent, ne indignis ad religiosas familias, non sine maximo illarum detrimento, ostium adaperirent. Verum quamlibet moderatores ordinum diligentiam adhibeant in informationibus exquirendis, in gravi tamen ut plurimum versantur periculo deceptionis, nisi a locorum antistitibus testimonium exquirant circa eorum qualitates, qui ad habitum religiosum admitti postulant. Ordinarii enim vi pastoralis officii oves suas prae caeteris agnoscere possunt et saepe saepius ea manifestare impedimenta quae alios latent. Haec animadvertens Sanctissimus D. N. Pius PP. IX. audito voto S. R. E. cardinalium huius sacrae congregationis super statu regularium attentisque postulationibus nonnullorum episcoporum praesenti decreto ubique locorum perpetuis futuris temporibus servando haec, quae sequuntur, apostolica auctoritate statuit atque decernit: 1. In quocunque ordine, congregatione societate, instituto, monasterio, domo, sive in iis emittantur vota solemnia sive simplicia, et licet agatur de ordinibus, congregationibus, societatibus, institutis, monasteriis ac domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore iuris clauso vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua et expressa mentio fiat, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris tum ordinarii originis tum etiam ordinarii loci, in quo postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit. 2. Ordinarii in praefatis litteris testimonialibus, postquam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de postulantis qualitatibus, referre debeant de eius natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxius. Et sciant ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere, nec ipsis unquam liberum esse huiusmodi testimoniales litteras denegare; in iisdem tamen super praemissis singulis articulis ea tantum testari debere, quae ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino iudicaverint. 3. Omnibus et singulis superioribus regularibus aliisque religiosis, ad quos spectat, cuiuscunque gradus sint et instituti,

---

c'. Decretum, *Romani pontificis*, dat. 25. Jan. 1848; *Bizzarri*, l. c. n. VII.; Archiv. VIII, 143.

licet exempti et privilegiati ac de necessitate exprimendi, etiam in virtute sanctae obedientiae huius decreti observantia districte praecipitur, et qui contra huius decreti tenorem aliquem ad habitum religiosum receperit, poenam privationis omnium officiorum vocisque activae et perpetuae inhabilitatis ad ulla in posterum obtinenda eo ipso incurrat, a qua nonnisi ab apostolica sede poterit dispensari. 4. Vi cuiuscunque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum et constitutionum etiam in forma specifica, quam ab apostolica sede aliquis ordo, institutum, superior, religiosus consequeretur, nunquam huic decreto derogatum esse censeatur, nisi ei expresse et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales quantumvis amplae apponantur. Quod si alicui instituto expresse et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi poterit vi cuiuscunque privilegii et communicationis privilegiorum. 5. Quolibet anno die prima Ianuarii in publica mensa hoc decretum legatur sub poena privationis officii ac vocis activae et passivae a superioribus ipso facto incurrenda. Ne autem huius decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu impediatur, Sanctitas Sua quibuscunque in contrarium facientibus constitutionibus, regulis et statutis cuiusvis ordinis, congregationis, societatis, instituti, monasterii, domus, etiam in forma specifica ab apostolica sede approbatis, nec non cuilibet privilegio, licet in corpore iuris clauso et apostolicis constitutionibus ac decretis confirmato ac expressa, individua, speciali et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscunque prorsus derogat, et derogatum esse declarat.

Idem.

d'. *Decretum praedictum*, Romani pontificis, *respicit tantum religiosos viros, non vero moniales.*

Ad dubium propositum, an licitum sit sequi in praxi salva conscientia sententiam asserentem, decretum s. congregationis super statu regularium diei 25. Ianuarii 1848, quo mandatum fuit, ut in institutis regularium nemo absque testimonialibus ordinarii loci originis aut commorationis ad habitum admittatur, moniales non respicere, sed tantum pro virorum monasteriis valere — 1. congregatio respondit: Affirmative, cum decretum respiciat tantum religiosos viros, non vero moniales.

Idem.

e'. *Exhibentur declarationes super decreto*, Romani pontificis, *ubique locorum servando. Susceptio habitus vel professio regularis facta omissis testimonialibus non est invalida, sed tamen illicita.*

---

d'. Respons. s. congregationis sup. stat. regul. dat. 25. Februar. 1863; Archiv. IX, 437.

e'. Declarationes s. congr. episcop. et regul. super decreto, *Romani pontificis*, ubique locorum servando, datae d. 1. Maii 1851; *Bizzarri*, l. c. n. IX.; Archiv. IX, 436 sq.

S. congregatio ad dubia praeposita, videlicet: 1) An sufficiant testimoniales datae ab ordinariis per litteras privatas? respondit Affirmative. 2) Utrum sufficiant testimoniales, in quibus ordinarii non testantur in specie de iis omnibus, quae in decreto „Romani pontifices“ praescribuntur, sed duntaxat in genere referunt de qualitatibus postulantis? Resp. Affirmative, sed a superioribus regularibus serventur alia de iure servanda ad singulas qualitates postulantium cognoscendas. 3) Quid agendum, si ordinarii responderint, se postulantes non agnoscere? Resp. Posse postulantes admitti ad habitum et noviciatum, si ordinarius a superiore requisitus expresse respondeat, sese circa qualitates postulantis informare non posse, quia illum non agnoscit, dummodo tamen testimonialium defectui per aliam accuratam informationem et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de iure servanda, et postulantes, antequam ad habitum admittantur, maneant saltem per tres menses in conventu, ibique diligenter probentur. 4) Utrum superiores admittere possint ad habitum sui ordinis postulantem absque litteris testimonialibus ordinarii, quando hic affirmat, non posse eas dare, quia prohibitus ab auctoritate civili? Resp. Sufficere testimonium ordinarii datum etiam per privatas et secretas epistolas, sed si ordinarius a superiore requisitas testimoniales ob expositam superius causam quovis modo dare renuat, posse postulantem admitti, supplendo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem et fide dignam relationem. 5) Utrum superiores possint ad habitum ipsum admittere milites, de quibus ordinarii affirmant, se non posse in Gallia informare, cum nullos delegatos in exercitu habeant, nec parochi illam de his notitiam habere possint? Resp. Affirmative, si ordinarius a superiore requisitus respondeat, se informare ob dictam rationem non posse, dummodo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem et fide dignam relationem suppleatur et serventur alia de iure servanda et insuper postulantes, antequam admittantur ad habitum, saltem per tres menses maneant in conventu, ibique diligenter probentur. 6) Quid agendum, si quando ordinarii nolunt dare litteras testimoniales non aliam ob causam, nisi quia opponuntur ingressui postulantis in religionem? Resp. Ordinarios, prout in art. II. decreti „Romani pontifices“ praescribitur, non posse testimoniales litteras denegare; si tamen eas dare recusent, recurrendum erit ad s. congregationem super statu regularium. 7) An in his ordinibus, in quibus praeter conversos laicos habentur donati seu oblati, testimoniales exigendae sint ante susceptionem habitus donatorum et oblatorum vel potius conversorum? Resp. Ante susceptionem habitus donatorum et oblatorum. 8) An sit nulla susceptio habitus sine litteris testimonialibus? Resp. Susceptionem habitus esse illicitam, non tamen invalidam; testimoniales litteras omissas in receptione ad habitum quam primum obtinendas esse, alias novitii ad professionem licite admitti minime poterunt. 9) Utrum sit invalida professio, si fiat omissis testimonialibus litteris? Resp. Non esse invalidam, sed illicitam.

Idem.

f'. Postulantes novitii vel professi alicuius congregationis, qui ad ordinem religiosum admitti volunt, a quibus litteras testimoniales petere debeant?

Bme Pater! Superior Carmelitarum discalceatorum provinciae Aquitaniae in Gallia ad pedes S. V. provolutus expostulat declarationem ad sequentia dubia super observantia decreti *Romani pontificis,* editi die 28. Ianuarii 1848. 1. Quando postulantes novitii vel professi alicuius congregationis petunt admitti ad nostram religionem, literae testimoniales petendae sunt a superioribus alterius congregationis, in qua fuerunt, vel ab ordinario? 2. Si a superioribus, an a superioribus generalibus vel localibus, et quid si in diversis domibus vel conventibus fuerint? 3. In Hispania adest patriarcha Indiarum, qui iurisdictionem exercet in universo exercitu per suos capellanos; literae testimoniales pro militibus petendae sunt a praedicto patriarcha vel ab ordinario? Ex audientia SSmi d. 5. Nov. 1852. SSmus propositis dubiis respondendum mandavit, scilicet: Ad 1. Quoad novitios et professos saecularizatos, ab ordinario; quoad professos, qui in congregatione vel ordine actu permanent, a superioribus. Ad 2. Possunt peti vel a superioribus generalibus vel a provincialibus, vel quatenus agatur de congregatione et ordine, in quo provinciales non habeantur, a superioribus localibus. Et si professus in diversis domibus vel conventibus commoratus fuerit, sufficere testimoniales superioris generalis vel superioris provinciae vel domus (quatenus provincialis non habeatur), in qua postremo tempore moratur. Caeterum huiusmodi superiores, antequam testimoniales concedant, diligenter inquirere debent de qualitatibus religiosi. Ad 3. Petendae erunt tam ab ordinario originis quam a patriarcha.*

---

f'. Aliae declarationes super decreto, *Romani pontificis*, datae d. 5. Nov. 1852; *Bizzarri*, l. c. n. XVI.; Archiv. XVI, 368.

* Ad decretum laudatum pertinent declarationes dat. ex s. congr. super statu regularium die 29. Maii 1857 ad dubia sequentia ab abbate Trappistarum americano quodam, videlicet: 1. Se sia sufficiente di esigere dai postulanti ecclesiastici le lettere testimoniali del vescovo, che gli ha conferito l'ordine, ovvero sia necessaria anche la testimoniale del vescovo nella cui diocesi sono stati ultimamente impiegati? 2. Siccome la maggior parte de' postulanti laici sono Irlandesi o Tedeschi per ottenere l'attesto del battesimo fa duopo di scrivere in Europa, e le risposte tardano molti mesi e qualche volta non si ricevono affatto, così quando evvi una certezza morale che sieno battizzati se possono ammettersi almeno provvisoriamente alla vestizione dopo due mesi di prova? 3. Se il postulante è già religioso di altra congregatione od istituto regolare, basterà di domandare gli attestati dal superiore da cui dipende? Ad haec s. congr. respondit: Ad 1. Si agatur de postulantibus in sacris ordinibus constitutis sufficere testimoniales episcopi, qui ordines sacros legitime eis contulit, una cum testimonialibus ordinariorum dioecesium, in quibus deinde ultra annum in unaquaque dioecesi commorati fuerint. Ad. 2. Documentum recepti baptismi exhibendum esse ante admissionem. Ad 3. Quoad novitios alterius ordinis et professos saecularizatos testimoniales literas petendas esse ab ordinario; quoad professos, qui in congr. vel ordine actu permanent, dummodo ab apostolica sede facultatem ad alium ordinem transeundi obtinuerint, testimoniales literas petendas esse a superioribus [cetera

Clemens Papa VIII.

g'. Forma praescribitur, qua ordines regulares et confraternitates saeculares uti debent in erigendis et aggregandis congregationibus vel confraternitatibus, communicandis indultis et indulgentiis atque in eligendis confessariis.

Paulus Papa V.

h'. Clementina praedicta constitutio circa formam communicandi indulgentias declaratur et extenditur.

Pius Papa IX.

i'. Quae in instituendis vel erigendis et aggregandis confraternitatibus vel congregationibus ab ordinibus regularium, archiconfraternitatibus et congregationibus observanda sint describuntur.

Ad religionis et pietatis incrementum ac mutuam charitatem inflammandam apostolica sedes pluribus sive ordinibus regularibus et institutis sive etiam Christi fidelium saecularium archiconfraternitatibus et congregationibus potestatem fecit alias confraternitates et congregationes erigendi et instituendi necnon etiam sibi aggregandi ac indulgentias, privilegia, aliasque spirituales gratias sibi concessas communicandi. Cum autem nulla certa forma vel ratio praescripta fuisset, quae in huiusmodi institutionibus et erectionibus vel aggregationibus et communicationibus faciendis servari deberet, Clemens VIII. fel. rec. constitutione quae incipit, *Quaecumque a sede apostolica*, data sub die 7. Decembris 1604 modum praecepit servandum in his peragendis formulam quoque praescribendo, atque inter alia statuit indulgentias, privilegia etc. tantummodo communicari posse, quae nominatim et expresse societati aggreganti concessa sunt, non tamen ea, quae per extensionem vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, et quidem communicari non sub generali verborum forma vel ad instar, sed expresse et in specie atque per dictam formulam ab ipso pontifice approbatam, quae quidem omnia in eadem constitutione reperiuntur praecepta sub nullitatis poena ut clarius patet ex laudata constitutione. Compertum tamen est progressu temporis non ab omnibus adhibitam fuisse hanc formulam neque privilegia neque indulgentias ad amussim communicatas quemadmodum pontifex praeceperat. Cum insuper statutum fuisset in eadem constitutione ut institutiones et aggregationes gratis omnino fierent et tantummodo per decretum congregationis cardinalium sub Paulo V. indulgentiarum moderationi praepositae latum die 6. Martii 1608 titulo expensarum permissum fuisset instituentibus vel aggregantibus scutum unum aureum recipere et quidem

---

consonant cum responso dato ad dub. 2. declarationis in textu exhibitae]. *Bizzarri*, l. c. n. XVI.; Archiv. XVI, 369.

g'. Const., *Quaecunque*, dat. 7. Decembr. 1604; in E. L. n. 115, III, 182.

h'. Const., *Quae salubriter*, dat. 23. Nov. 1610; in E. L. III, 292.

i'. Decretum s. congr. indulgentiarum dat. 8. Jan. 1861; Archiv. VI, 337. Adiecta sunt formulae saltem in substantialibus servandae in erigendis confraternitatibus et communicandis gratiis spiritualibus; Archiv. VI, 339 sq.

sub poena, inter cetera, nullitatis prout clarius innotescit ex eodem decreto, attamen cognitum similiter est neque dispositionem hanc ab omnibus servatam fuisse. Ad dubitationem itaque omnem tollendam super validitate harum institutionum seu aggregationum Sanctitas Sua benigne sanavit institutiones et aggregationes hucusque factas, in quibus aliquid ex praedictis desideretur, quod perficiendum erat per constitutionem enunciatam aut decretum superius expressum vel contra in iisdem praescripta peractum sit simulque mandavit ut in posterum formula in huiusmodi erectionibus seu institutionibus seu aggregationibus adhibenda concordet saltem in substantialibus cum illa praescripta a Clemente VIII. cuius constitutionis ad minus praecipua capita in eadem formula inserantur cum variationibus ab eadem Sanctitate Sua approbatis, cuius quidem formulae exemplar iis praesertim quorum interest communicandum in actis s. congregationis servari praecepit et ut societati aggregatae ab ordine, instituto seu archiconfraternitate aggregante tradi possit separatim et distincte a formula ac etiam typis impressus elenchus indulgentiarum et privilegiorum ab ordinario tamen loci recognitus, cuius impressio in hunc tantum finem permittitur etiamsi indulgentiarum concessiones sint depromtae ex pluribus Brevibus etc., non obstante decreto s. c. Indicis, et altero decreto s. congregationis indulgentiarum explicante et moderante praedictum decretum Indicis diei 22. Ianuarii 1858. Atque hoc decretum absque ulla Brevis expeditione publicari iussit derogando cuicumque apostolicae dispositioni in contrarium etiam specialis memoriae dignae.*

TITULUS XVIII.

DE CONVERSIONE INFIDELIUM.

Paulus Papa III.

Cap. I. Iudaeis et infidelibus ad fidem conversis legitima successio praeservatur, ita ut etiam filii familias a parentibus exhaereditari non possint. Fidelium charitati commendantur. Cives earum civitatum sint, in quibus baptizantur, et earum privilegiis et immunitatibus gaudeant. Iudaeorum ritus, solemnitates et conversationem minime frequentent.

Benedictus Papa XIV.

a. *Infantes iudaeorum invitis parentibus baptizare nefas est. Contingere tamen potest, ut liceat et conveniat. Quid, si illicite, sed valide baptizati fuerint?*

---

* Ex decreto s. congr. indulgentiarum dat. 8. Jan. 1861 ordinarii locorum libere designare possunt parochos in rectores vel moderatores piarum confraternitatum aliarumque piarum unionum canonice erectarum. Archiv. VII, 277.

Tit. XVIII. Cap. I. Const., *Cupientes*, dat. 21. Maii 1542, §. 1—8; in E. L. n. 32, I, 759.

a. Const., *Postremo mense*, dat. 28. Febr. 1747 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).

Adultos, i. e. rationis compotes, etiam invitis parentibus baptizare licet, si baptismum petierint. Hebraeis, ut baptismum recipiant, vim facere nefas est. Quid in admittendis Hebraeis ad baptismum observandum?

Idem.

b. *De infantibus vel adultis iudaeis baptizandis latius disseritur, atque praecipue aviae neophytae asseritur ius offerendi ad baptismum infantes iudaeos ex filio praemortuo nepotes.*

TITULUS XIX.

DE STATU REGULARIUM.

Gregorius Papa XI.

Cap. I. Religiosi quorumcunque ordinum, etiam mendicantium, sedis apostolicae capellani perinde eorum superioribus et correctoribus in omnibus et per omnia sint subiecti, ac si praedictae sedis capellani non essent. (Est textus integer.)

Pius Papa V.

Cap. II. Singulis fratribus et superioribus ordinis conventualium s. Francisci bonorum proprietas, possessio, usus vel usus fructus omnino interdicitur, atque indulta quaecunque contraria revocantur. Omnia communia esse debent.

Idem.

Cap. III. Mulieres sub excommunicationis poena prohibentur, quominus monasteria regularium ordinum ingrediantur. Superioribus vel aliis regularibus illas introducentibus vel admittentibus poena privationis officiorum et inhabilitatis ad ea obtinenda, necnon suspensionis a divinis ipso iure incurrenda statuitur.

Benedictus Papa XIV.

a. *Constitutiones omnes super clausura religiosorum virorum editae innovantur; indulta quibuscunque concessa claustra ingrediendi revocantur et facultates in hac lege dispensandi tolluntur.*

Pius Papa V.

Cap. IV. Moniales nulla occasione nullove praetextu monasteriis exire fas est, exceptis tribus his causis, videlicet: magni incendii, infirmitatis leprae vel

---

b. Const., *Probe te meminisse*, dat. 15. Dec. 1751 (Bullar. Bened. XIV. T. III.).

Tit. XIX. Cap. I. Const., *Per Romani pontificis*, dat. 3. Nov. 1373, §. 2; in E. L. n. I, 265.

Cap. II. Const., *Ad exstirpandos*, dat. 8. Junii 1568, §. 2—10; in E. L. n. 61, II, 274.

Cap. III. Const., *Regularium*, dat. 24. Octobr. 1566, §. 3, 4; in E. L. n. 22, II, 212.

a. Const., *Regularis disciplina*, dat. 3. Januar. 1742 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

Cap. IV. Const., *Decori et honestati*, dat. 8. Febr. 1569, §. 2, 3; in E. L. n. 8, II, 97. Conf. de eadem materia Pii V. const., *Circa pastoralis*, dat. 29. Maii 1566; in E. L. 8, II, 196.

epidemiae; quae tamen infirmitas non solum ab ordinis superiore, sed etiam loci ordinario cognoscenda et in scriptis approbanda est. Egressis in praedictis casibus non nisi ad tempus necessarium extra monasteria stare liceat. Aliter quam ex causis laudatis egredientibus vel eas recipientibus excommunicatio ipso facto incurrenda et summo pontifici reservata aliaeque poenae constituuntur. Quaecunque indulta exeundi vel extra monasteria standi irritantur et prohibentur.

Gregorius Papa XIII.

Cap. V. Monialibus non licet habere ostium, per quod ex monasterio introiri possit in ecclesiam monialium exteriorem, ad quam saecularibus ad missas et divina officia patere solet accessus; nec omnino claustrorum fines excedere fas est.

Idem.

Cap. VI. Indulta quaecunque ingrediendi monasteria monialium necnon virorum religiosorum revocantur. Abbatissis et superioribus monasteriorum utriusque sexus ingressum sub quocunque praetextu licentiarum permittentibus poenae gravissimae constituuntur. Sub iisdem poenis praescribitur omnibus, qui ab ordinariis locorum vel superioribus monasteriorum ingrediendi licentias obtinuerint, ut ea facultate urgentibus tantum necessitatibus utantur.

Benedictus Papa XIV.

b. *Sanctiones ecclesiasticae de clausura monialium confirmantur et facultates extraordinariae ingressum vel egressum e monasteriis permittendi revocantur.*

Idem.

c. *De clausura monialium et admissione famularum decreta innovantur.*

Gregorius Papa XIII.

Cap. VII. Praelati omnes aliique, quibus cura et regimen monasteriorum monialium incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria ita demum uti possunt, si id faciant in casibus necessariis, et a paucis iisque senioribus ac religiosis personis comitati. In contravenientes poenae statuuntur.

Urbanus Papa VIII.

d. *Mulieres habentes indultum ingrediendi monasteria monialium, ut eo gaudere possint requiritur consensus monialium capitulariter et per vota secreta praestandus.*

Cap. V. Const., *Deo sacris*, dat. 30. Dec. 1572, §. 6 in fine; in E. L. n. 8. II, 394 In reliqua bullae parte non recepta providetur de eleemosynis monialibus clausuram servantibus.

Cap. VI. Const., *Ubi gratiae*, dat. 13. Iunii 1575, §. 1, 2, 4; in E. L. n. 28, II, 422

b. Const., *Salutare*, dat. 3. Ian. 1742 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

c. Const., *Per binas alias*, dat. 24. Ian. 1747 (Bullar. Bened. XIV. T. II.). Alia Benedicti XIV. const., *Gravissimo*, dat. 31. Octobr. 1749 (Bullar. Bened. XIV. T. III.) accessus ad monasteria monialium interdicitur.

Cap. VII. Const., *Dubiis*, dat. 23. Dec. 1583, princ., §. 1—3; in E. L. n. 28. II, 42

d. Const., *Sacrosanctum*, dat. 27. Octobr. 1624; in E. L. n. 39, IV, 77.

Alexander Papa VII.

e. *Quomodo et quibus casibus liceat superioribus regularibus monialium earumque confessoribus ingredi septa monasterii statuitur.*

Pius Papa IX.

f. *Violantes clausuram monialium cuiuscunque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a s. Pio V. in constit. „Decori" praescriptam excommunicatione latae sententiae et Romano pontifici reservata plectuntur.*

TITULUS XX.

DE RELIGIOSIS DOMIBUS.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Ordinarii curent, ut hospitia quaecunque, etiam exempta, a suis administratoribus fideliter gubernentur.

Ex eodem.

Cap. II. Administratorum munus. Eorum negligentia a quibus et qua ratione coercenda.

TITULUS XXI.

DE IURE PATRONATUS.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Nemo nisi ex fundatione vel dotatione ius patronatus obtineat.

Ex eodem.

Cap. II. Praesentatio fiat ordinario; alias praesentatio et institutio sit nulla.

Ex eodem.

Cap. III. Quomodo probandum ius patronatus. Cui deferendum munus patronorum.

---

e. Const., *Felici sacrorum*, dat. 20. Nov. 1644; in E. L. n. 153, VI, 168.

f. Const. *Apostolicae sedis*, dat. 12. Octobr. 1869.

Tit. XX. Cap. I. Sess. VII. de ref. c. 15.

Cap. II. Sess. XXV. de ref. c. 8.

Tit. XXI. Cap. I. Sess. XIV. de ref. c. 12.

Cap. II. Sess. XIV. de ref. c. 13. De praesentatione patrono ecclesiastico competente cf. supra e. de aetate etc. I, 9.

Cap. III. Sess. XXV. de ref. c. 9.

TITULUS XXII.

DE CONSECRATIONE ECCLESIAE VEL ALTARIS.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Regulares ab alieno episcopo consecrationem ecclesiae vel altaris, aut coemeterii benedictionem petere non possint.

Benedictus Papa XIV.

a. *Altare a summo pontifice consecratum et super quo ipse sacrum fecit est pontificium, neque ulli sacerdoti sine facultate pontificia super eo celebrare fas est.*

Idem.

b. *Consecratio ecclesiae, et eius, si polluatur, reconciliatio, simplici sacerdoti non ab episcopo, sed a solo summo pontifice committi potest. In consecrandis ecclesiis episcopo citra licentiam sedis apostolicae abbates vel simplices sacerdotes adhibere non licet.*

Clemens Papa X.

c. *Consecrationes altarium atque aliarum rerum ecclesiasticarum ab abbatibus regularium, quamvis exemptis, nonnisi ex speciali sedis apostolicae indulto fieri possunt.*

Iosephus Villadot, abbas monasterii s. Michaelis de Coccian o. s. Benedicti Nullius provinciae Tarraconen., qui habet particulare et separatum territorium, iurisdictionem quasi episcopalem, facultatem convocandi synodos et faciendi concursum in parochialibus ecclesiis tempore vacationis, supplicavit in sacr. rit. cong. pro resolutione infrascripti dubii: an possit etiam consecrare seu benedicere calices, saxum altaris et alia solita ornamenta, ut alii abbates illarum partium? Et eadem s. congr. respondit non posse sine indulto speciali.

TITULUS XXIII.

DE CELEBRATIONE MISSARUM, SACRAMENTO EUCHARISTIAE ET ALIIS DIVINIS OFFICIIS.

Martinus Papa V.

Cap. I. Indulgentiae ab Urbano IV. concessae iis, qui divinis officiis solemnitatis corporis Christi intersunt, extenduntur.

Tit. XXII. Cap. I. Const., *Dum intra mentis*, dat. 19. Dec. 1519, §. 12; in E. L. n. 10, I, 552.

a. Const., *Dilectus filius*, dat. 15. Ian. 1745 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

b. Const., *Ex tuis precibus*, dat. 15. Nov. 1748 (Bullar. Bened. XIV. T. IV. append.).

c. Decretum s. congreg. rituum dat. 12. Aug. 1673; *A. Gardellini*, Decreta authentica congregationis sacr. rituum (Romae 1854) T. I. n. 2650.

Tit. XXIII. Cap. I. Const., *Ineffabili*, dat. 12. Maii 1429, §. 1—3; in E. L. n. 12, I, 308.

Eugenius Papa IV.

Cap. II. Indulgentiae festum corporis Domini celebrantibus concessae ampliantur.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. III. Beneficiati, qui post sex menses post obtentum beneficium divinum officium non recitaverint fructus beneficiorum pro rata omissionis et temporis non faciant suos, et iniuste perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum vel pauperum eleemosynas erogare teneantur. Si ultra dictum tempus in negligentia permanserint, beneficio ipso priventur.

Pius Papa V.

Cap. IV. Beneficiorum fructus, quos beneficiati vel totum officium divinum vel partem eius omittentes poenae nomine erogare debent, definiuntur. Qui horas omnes canonicas intermiserint, omnes fructus diei vel diebus intermissionis respondentes amittant; qui matutinum tantum intermiserint, dimidiam, qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittant. Quid in iis, qui choro addicti sunt, valeat, exponitur. Clerici pensiones, fructus vel alios proventus ecclesiasticos obtinentes, officium B. M. Virginis dicant; non recitantes amissioni proventuum modo praedicto subiaceant.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. V. De reali praesentia Domini nostri Jesu Christi in sanctissimo eucharistiae sacramento. De ratione, institutione huius sacramenti eiusque excellentia super reliqua sacramenta. De transsubstantiatione atque cultu huic sanctissimo sacramento exhibendo. De eo asservando et ad infirmos deferendo deque praeparatione, quae adhibenda est, ut digne quis sacram eucharistiam percipiat.

Ex eodem.

Cap. VI. Laicos et clericos non conficientes non adstringi iure divino ad communionem sub utraque specie; Ecclesiae potestas circa dispensationem eucharistiae. Totum et integrum Christum ac verum sacramentum sub qualibet specie sumi. Parvulos non obligari ad communionem sacramentalem.

Ex eodem.

Cap. VII. De institutione sacrosancti missae sacrificii. Sacrificium missae est propitiatorium tam pro vivis quam pro defunctis. De missa in honorem

---

Cap. II. Const., *Excellentissimum*, dat. 26. Maii 1433, §. 2—4; in E. L. n. 6, I, 323.

Cap. III. Const., *Supernae dispositionis*, dat. 21. Maii 1514, §. 38; in E. L. n. 7, I, 543.

Cap. IV. Const., *Ex proximo*, dat. 26. Sept. 1571, princ., §. 1; in E. L. n. 135. II, 369.

Cap. V. Sess. XIII. Decretum de sanct. eucharistiae sacramento, cap. 1 — 8, can. 1 — 11.

Cap. VI. Sess. XXI. Doctrina de communione sub utraque specie et parvulorum, princ., cap. 1 — 4, can. 1 — 11.

Cap. VII. Sess. XXII. Doctrina de sacrificio missae, princ, cap. 1 — 8, can. 1 — 9.

sanctorum. De canone atque caeremoniis et ritibus missae. De missa, in qua solus sacerdos communicat. De aqua miscenda vino in calice offerendo. Missa vulgari lingua non celebretur. Eius mysteria populo explicentur.

Ex eodem.

Cap. VIII. De observandis et evitandis in celebratione missae. *

Paulus Papa V.

a. *Declaratur, decreto concilii Tridentini praedicto, quo episcopis iniungitur, ne patiantur privatis in domibus missae sacrificium peragi, ipsis episcopis ademptam esse auctoritatem concedendi licentias in privatarum domorum oratoriis celebrandi, eamque soli summo pontifici esse reservatam.* **

Clemens Papa XI.

b. *Episcopis aliisque praelatis maioribus non licet extra domum propriae habitationis in laicorum domibus erigere altare ibique s. missae sacrificium celebrare vel celebrare facere. In oratoriis privatis, quae per sanctam sedem concessa fuerint, omnino tenor indultorum pontificiorum observandus est. Privilegia concessa nonnullis regularibus in* cap. In his, de privilegiis, *ac per aliquos summos pontifices aliis regularibus communicata, utendi altari portatili in eoque celebrandi absque ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino per dictum decretum concilii Tridentini revocata sunt.*

Innocentius Papa XIII.

c. *Declaratur decreto Clementino laudato episcopis prohibitum non esse, quominus ipsi in domibus, etiam laicis, in quibus forte occasione visitationis vel itineris, hospitio excipiantur, vel ex speciali sedis apostolicae indulto a domo propriae habitationis absentes moram faciunt, per modum similis habitationis etiam extra propriam dioecesim altare erigant et missae sacrificium celebrent non secus ac in domo propriae ordinariae habitationis.*

Cap. VIII. Decretum de observandis et evitandis in celebratione missae.

* De observandis in celebratione missae et asservando s. Eucharistiae sacramento Italo-Graecis vide Benedicti XIV. const.. *Etsi pastoralis*, dat. 25. Mart. 1742, §. VI, VII, IX. n. 16.

a. Literae encyclicae iussu Pauli V. d. 10. Martii 1615 datae; Benedict. XIV. De missae sacrificio L. III. c. 6. n. 1, 2.

** Ad dubium ab episcopo Monasteriensi propositum: an possit concedere licentiam erigendi oratoria privata cum facultate in iis celebrandi missae sacrificium? s. congr. respondit: Non licere episcopo huiusmodi licentias quocumque sub obtentu concedere, ne pro actu quidem mere transeunte; hanc facultatem esse soli Romano pontifici reservatam, eidemque episcopo literas s. congr. a Paulo V. approbatas expediri . . . Ita fuit resolutum die 23. Ianuarii 1847; die vero 1. Februarii eiusdem anni SSmus resolutionem s. congr. in omnibus benigne approbavit et confirmavit. Archiv. I, 745; Conf. Archiv. III, 478.

b. Decretum, *Nonnullis*, dat. 15. Decembr. 1703 (Bullar. Bened. XIV. T. III. post const., *Magno cum animi*, quae citatur infra d., h. t.).

c. Const., *Apostolici ministerii*, citata in libro Benedicti XIV., cui titulus „De missae sacrificio“ L. III. c. VI. n. 6, atque confirmata a Benedicto XIII. in synodo Romana a. 1726. Tit. XV. c. III.

Benedictus Papa XIV.

d. *Concilii Tridentini et praedecessorum pontificum decreta de erigendis oratoriis privatis recensentur et declarantur. Abusus tollendi sunt ab oratoriis, quae in domibus laicorum sunt. Ius concedendi eiusmodi oratoria sedi apostolicae reservatum est. Quibus casibus concessum sit episcopis aliisque praelatis celebrandi in domibus privatis. Leges pro oratoriorum privatorum erectione et usu servandae exponuntur.*

Innocentius Papa XII.

e. *Parochus in diebus dominicis et festivis missam celebrare et sacrificium pro parochianis applicare debet, sive habeat congruam sive non; nec potest eisdem diebus aliam eleemosynam recipere. Episcopus detrectantes compellere tenetur.**

Benedictus Papa XIV.

f. *Parochi omnes vel vicarii, quibus vacante ecclesia vel alia ex causa populus committitur, tenentur pro parochianis missam applicare in dominicis et aliis festivis diebus de praecepto, etiam in iis, quibus populo quidem permissum est opera servilia exercere, firma tamen manente eius obligatione interveniendi missae sacrificio. Si qui parochi forte adeo pauperes sint, ut ferme ex eleemosynis, quas a fidelibus pro missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur, episcopi ex apostolica facultate dispensare possunt ad hoc, ut etiam diebus festivis eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso sacrificium applicare libere et licite valeant. Vicariis vero vacante ecclesia animarum curam gerentibus, ex decreto concilii Tridentini sess. XXIV. cap. 18 congrua fructuum portio assignanda est. Quae si vitae necessaria non suppeditet, congruum augmentum pro onere celebrandi et applicandi missam pro populo iis praebeatur. Vicariis vero*

---

d. Const., *Magno cum animi*, dat. 1. Iunii 1751 (Bullar. Bened. XIV. T. III.).

e. Const., *Nuper a congregatione*, dat. 24. Aprilis 1699; in E. L. XII, 315, qua decisiones s. congr. concilii Trid. confirmantur.

* Propositio XXX. Synodi Pistoriensis damnata a Pio VI. per constitutionem „*Auctorem fidei*“ dat. 28. Aug. 1794 haec est: De applicatione fructus sacrificii. Doctrina synodi, qua, tum profitetur *credere, sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen, ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando deum peculiariter pro ipsis*, dein continuo subiicit: *non tamen quod credamus, in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult, imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem iura dei, qui solus distribuit fructus beneficii cui vult, et secundum mensuram, quae ipsi placet:* unde et consequenter traducit velut *falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiant.* Sic intellecta, ut, praeter peculiarem commemorationem et orationem specialis ipsa oblatio seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit (ceteris paribus) illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac praecipit ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina synodo diserte est expressum, Sess. 23. cap. 1. de ref., Bened. XIV., const., *Quum semper oblatus*, §. 2. — falsa, temeraria, perniciosa, ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.

f. Const., *Quum semper*, dat. 19. Aug. 1744 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

perpetuis vel temporaneis, quibus pars fructuum a s. Pio V. constitutione, quae incipit „Ad exequendum", *assignanda aut nullo modo concedatur, aut non sufficiat, episcopi ex praescripto concilii Tridentini sess. VII. cap. 7 ita provideant, ut oneri celebrandi et applicandi missam pro populo satisfacere possint. Eodem modo, quo parochi diebus festivis missam pro populo applicare tenentur, capitula ecclesiarum cathedralium et conventualium quotidie pro benefactoribus in genere missam conventualem celebrare obligati sunt, ita ut non suffragetur applicatio pro certo aliquo benefactore. Quae si per beneficiatos vel mansionarios celebranda sit, ex massa communi eleemosynae praestandae provideatur, vel alio modo legibus praescripto. In capitulis, ubi mos viget secundam vel tertiam missam pro benefactoribus in genere celebrandi et applicandi, usus omnino servetur. Ubi vero usu receptum non est, liberum celebranti relinquendum est, an pro benefactoribus applicare velit necne.*

Pius Papa IX.

g. *Parochi aliique omnes animarum curam actu gerentes missam pro populo celebrare et applicare debent tum dominicis diebus aliisque festivis, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui sedis apostolicae indulgentia ex dierum festorum numero sublati et translati sunt, quemadmodum debebant dum Urbani VIII. const.*, Universa *(conf. supra a. de feriis II, 3), vigebat. Sed si una cum solemnitate festi translati etiam divinum officium in diem dominicam translatum fuerit, una tantum missa pro populo applicanda est. Si quando aliqua huius obligationis remissio parochis tribuenda videatur, congregatio concilii Tridentini adeunda est.*

Amantissimi redemptoris (et infra). Cum igitur nihil sit sanctius, nihil divinius incruento missae sacrificio, quo idem corpus, idem sanguis, idem Deus et Dominus noster Iesus Christus Deo pro omnium salute in altari per sacerdotes offertur et immolatur, idcirco sancta mater ecclesia tanto divini sui sponsi ditata thesauro nunquam destitit omnem curam, operam diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a sacerdotibus, quanta maxima fieri posset interiore cordis munditia ac puritate perageretur debitoque sacrarum caeremoniarum ac rituum apparatu cultuque celebraretur, ut ipsius mysterii magnitudo et maiestas vel externa quoque specie magis eluceat, et fideles ad rerum divinarum, quae in tam admirabili ac venerando sacrificio occultae continentur, contemplationem excitentur. Ac pari sollicitudine studioque ipsa pientissima mater nunquam cessavit suos fideles filios commonere, hortari et inflammare, ut ea, qua oportet, pietate, veneratione ac devotione ad hoc divinum sacrificium frequentissime convenirent, praecipiens, ut eidem omnibus de praecepto festis diebus ipsi interesse omnino deberent, animis ad illud oculisque religiosissime intenti, quo divinam exinde misericordiam omniumque bonorum copiam sibi felicissime comparare possent. Iam vero cum omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituatur in iis, quae sunt ad Deum, ut

---

g. Const., *Amantissimi redemptoris*, dat. 3. Maii 1848. Archiv. III, 226 sqq.

offerat dona et sacrificia pro peccatis, tum pro egregia vestra sapientia apprime cognoscitis, venerabiles fratres, sacrosanctum missae sacrificium ab animarum pastoribus esse applicandum pro populo eorum curae commisso, et huiusmodi obligationem ex divino praecepto descendere iuxta concilii Tridentini doctrinam, cum idem concilium disertissimis gravissimisque verbis edoceat *praecepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere et pro his sacrificium offerre* [1]. Notissimae quoque vobis sunt felicis recordationis Benedicti XIV. decessoris nostri litterae die 19. Augusti anni 1744 datae, quibus de hac obligatione copiose sapienterque loquens, ac Tridentinorum patrum mentem uberius explicans et confirmans, ad omnes controversias, quaestiones dubitationesque amovendas clare aperteque declaravit et constituit, parochos aliosque omnes animarum curam actu habentes debere missae sacrificium pro populo sibi concredito peragere omnibus dominicis aliisque de praecepto festis diebus, et illis etiam, quibus ipse in nonnullis dioecesibus dierum de praecepto festorum numerum imminuens permiserat populis in servilia opera incumbere, sed caverat tamen, ut ipsi populi obligationi de sacro audiendo satisfacere deberent [2]. Non mediocri certe iucunditate perfundimur, venerabiles fratres, cum ex relationibus, quas de vestrarum dioecesium statu cum summa vestri nominis laude ac pari animi nostri gaudio ad nos, et hanc apostolicam sedem, veluti officii vestri ratio postulat, mittendas curatis, agnoscamus, animarum curatores huiusmodi sui muneris obligationem diligenter implere dominicis et aliis, qui adhuc ex praecepto servantur, diebus, missae sacrificium pro populo sibi tradito celebrare haud omittunt. Sed minime ignoramus, pluribus in locis id a parochis iamdiu praetermitti solere aliis illis diebus, qui antea veluti festi de praecepto erant colendi iuxta constitutionem felicis memoriae Urbani VIII. decessoris pariter nostri [3], et quibus haec apostolica sedes annuens variis sacrorum antistitum postulationibus, ac prae oculis habens causas rationesque ab ipsis expositas, dum imminuit festos de praecepto dies, non solum permisit, ut populi servilibus operibus vacare possent, verum etiam indulsit, ut ipsi ab obligatione audiendi sacrum essent exempti. Ubi enim haec benigna sanctae sedis indulta in lucem prodierunt, statim plurium regionum parochi existimantes, se hisce diebus ita reductis solutos esse ab obligatione peragendi sacrum pro populo, obligationem ipsam implere plane neglexerunt. Hinc porro invaluit consuetudo, ut earundem regionum parochi commemoratis diebus sacrosanctum missae sacrificium pro populo applicare cessaverint, nec defuere, qui eiusmodi consuetudinem tueri ac defendere non dubitarunt. Nos igitur de spirituali universi Domini gregis nobis divinitus commissi bono vel maxime solliciti, ac non parum dolentes, ex huiusmodi praetermissione fideles illorum loco-

---

[1] Concil. Trid. Sess. 23. cap. 1. De reformat.

[2] Bened. XIV. Litt. Encycl. „Cum semper oblatus“ die 19. Augusti 1744.

[3] Urban. VIII. Constit. „Universa per orbem“ ibid. Septbr. 1642.

rum populos maximis spiritualibus fructibus privari, tanti momenti negotio occurrere statuimus, cum praesertim noscamus, hanc apostolicam sedem docuisse, parochos diebus festis etiam reductis debere sacrum pro populo celebrare. Et sane quamvis romani pontifices decessores nostri enixis sacrorum antistitum petitionibus ac variis pluribusque fidelium populorum indigentiis et gravibus rerum, temporum ac locorum rationibus permoti festos de praecepto dies imminuendos censuerint ac simul benigne concesserint, ut populi hisce diebus servilia opera libere exercerent, quin sacrum audire deberent, tamen iidem praedecessores nostri in hisce indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt, ut scilicet praedictis diebus nihil in ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia eo prorsus modo peragerentur quo antea peragi solebant, cum enunciata Urbani VIII. constitutio plene vigeret, qua festi de praecepto dies servandi fuerant praescripti. Ex quo parochi facile intelligere poterant, se illis diebus minime expeditos esse ab obligatione applicandi pro populo missam, quae potissima ritus pars est, animo praesertim reputantes pontificia rescripta eo plane, quem prae se ferunt, sensu esse omnino accipienda, et illa strictissimae esse interpretationis. Accedit etiam ut haec sancta sedes in plurimis peculiaribus casibus de huiusmodi parochorum onere consulta haud omiserit per suas praesertim congregationes sive concilii, sive fidei propagandae, sive sacrorum rituum, sive etiam per sacram Poenitentiariam saepissime respondere et edicere, parochos eidem oneri esse obnoxios applicandi pro populo missam illis etiam diebus, qui de festorum ex praecepto dierum numero fuerant sublati. Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, atque in consilium adhibitis nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus nostrae congregationis Tridentinis decretis tuendis interpretandisque praepositae hanc vobis, venerabiles fratres, encyclicam epistolam scribendam esse censuimus, ut certam et constantem normam legemque constituamus ab omnibus parochis sedulo diligenterque observandam. Quamobrem hisce litteris declaramus, statuimus atque decernimus, parochos, aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere tum omnibus dominicis aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex huius apostolicae sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debeant, dum memorata Urbani VIII. constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicum diem, una tantum missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem missa, quae praecipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.

Nunc vero paterni animi nostri caritate illorum parochorum tranquillitati prospicere volentes, qui ob assertam consuetudinem memoratis diebus

missam pro populo applicare omiserunt, eosdem parochos ab omnibus quibusque praeteritis omissionibus auctoritate nostra apostolica plenissime absolvimus. Et quoniam non desunt animarum curatores, qui peculiare aliquod reductionis, uti dicunt, indultum ab hac apostolica sede obtinuere, concedimus, ut ipsi huiusce indulti beneficio perfrui pergant iuxta tamen conditiones in indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint in paroeciis, quas in praesentiarum regunt et administrant. Dum autem haec statuimus et indulgemus, in eam profecto spem erigimur fore, venerabiles fratres, ut parochi maiore usque animarum studio et amore incensi huic obligationi applicandi missam pro populo diligentissime ac religiosissime satisfacere glorientur, serio considerantes uberrimam coelestium praesertim munerum ac bonorum copiam, quae ex hac incruenti divinique sacrificii applicatione in christianam plebem eorum curae commissam abunde redundat. Cum vero nos minime lateat, peculiares casus contingere posse, in quibus pro re ac tempore aliqua huius obligationis remissio parochis sit tribuenda, sciatis velimus, ab omnibus nostram concilii congregationem unice adeundam ad huiusmodi obtinenda indulta, illis dumtaxat exceptis, qui a nostra congregatione fidei propagandae praeposita pendent, cum opportunas utrique congregationi contulerimus facultates.

Nihil plane dubitamus, venerabiles fratres, quin pro eximia vestra episcopali sollicitudine omnibus et singulis vestrarum dioecesium parochis nulla interposita mora sedulo manifestare velitis, quae in hisce nostris litteris de eorum obligatione applicandi pro populo sibi commisso sacrosanctum missae sacrificium suprema nostra auctoritate confirmamus ac denuo constituimus, volumus, praecipimus et mandamus. Ac persuasissimum quoque nobis est, vos maximam adhibituros esse vigilantiam, ut animarum curatores hanc etiam sui muneris partem diligenter impleant ac studiose observent, quae a nobis in hisce litteris statuta atque sancita sunt. Optamus autem ut harum litterarum exemplar in tabulario episcopalis cuiusque vestrum curiae perpetuo asservetur.

Idem.

h. Missionarii, qui quovis modo suscipiunt curam animarum in aliquo determinato loco, neque iustitia neque charitate tenentur ad missam pro populo festis diebus applicandam, certis casibus exceptis.

Ad dubia praeposita: 1. An vicarii apostolici et missionarii, qui quovis modo curam animarum in certo aliquo loco assumunt, omnes indistincte obligentur *ex iustitia* ad applicandam missam pro populo in diebus festivis? 2. An vero de illis, qui ex iustitia non obligantur, dici debeat, *decere ex charitate* aut *teneri ex charitate* ad applicandam missam pro populo in diebus festivis? s. congreg. de propaganda fide respondit: Ad. 1. Negative,

---

h. Decretum s. congr. de propag. fide dat. 23. Martii cum alio recentiori relat. in concilio plenario Baltimorensi II. a. 1866 habito (Baltimore 1868); Archiv. XXII, 189.

i. e. non teneri, dummodo non agatur de locis, in quibus sedes episcopales ac paroeciae canonicae erectae iam sint, atque ad eas vicarii apostolici et missionarii missi sint, ut legitimorum pastorum vices gerant. Ad. 2. Vitandam esse expressionem „teneri ex charitate“, dicendum vero esse „decere ex charitate“, idque ita, ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat.

Benedictus Papa XIV.

i. *Parocho dominicis et festis diebus eodem die bis missam celebrare non licet nisi magna populi necessitas id exigat; veluti si duas ecclesias distantibus omnino locis positas habeat, ne diebus festis ecclesiae praeceptum a populo violetur. Sed tamen etiam populi necessitate exigente prius legitimam pro re gerenda facultatem impetrare debet. Quod si alius adsit sacerdos, qui in uno loco celebrare possit, parocho semel tantum sacrificium offerre fas est.*

Pius Papa IX.

k. *Quid iuris obtineat quoad applicationem missae pro populo in parochis, qui duas parochias regunt et congruam non habent? Quid in parochis aut sacerdotibus curam animarum non habentibus, qui dominicis et festis diebus binam missam in eadem parochia celebrant?*

Sacrae congregationi concilii dubia dirimenda haec fuerunt proposita: 1. An parochus, qui duas parochias regit et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam missam applicare teneatur non obstante redituum exiguitate in casu? 2. An parochus, qui una eadem in parochia bis eadem die celebrat, utramque missam populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur in casu? 3. An vicarii aut alii sacerdotes curam animarum non habentes, siquando bis in die celebrent, ut fit quandoque seu ut numero sufficienti missae in ecclesia parochiali celebrentur, seu ut hospitia, carceres, sanctimonialium conventus missa non careant, secundam et ipsi missam populo gratis applicare teneantur in casu? Et quatenus affirmative ad 1. 2. 3. — 4. An et quomodo concedendum sit parochis, qui diebus dominicis aliisque bis celebrant, ut unius missae liberam habeant applicationem et stipendium pro ea recipere valeant in casu? 5. An et quomodo idem concedendum sit sacerdotibus curam animarum non habentibus quoad utramque missam in casu? 6. An et quomodo concedenda sit absolutio quoad praeteritum in casu? Die 25. Septembris 1858 s. congregatio ad supra dicta dubia rescripsit: Ad 1. Affirmative. Ad. 2. Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa. Ad 3. Negative, quatenus animarum curam non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa. Ad 4. Negative, et episcopus provideat ad formam constitutionis Benedicti XIV. „*Cum semper*“ §. 8.

---

i. Const., *Declarasti*, dat. 16. Martii 1746 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).

k. Decreta s. congr. concilii data die 25. Sept. 1858. Archiv. VI, 335.

Ad 5. Provisum in tertio. Ad. 6. Celebrata unica missa ab unoquoque affirmative, facto verbo cum Sanctissimo.

Idem.

l. Parochi diebus dominicis et festivis populi necessitate exigente bis missam celebrantes, certis casibus aliquam remunerationem intuitu laboris et incommodi percipere possunt, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione missae.

Episcopus Trevirensis sequentia exponit: Sacra congregatio concilii Tridentini decreto 25. Decembr. edito declaravit, non licere sacerdoti, qui binam eadem die dicit missam, eleemosynam seu stipendium accipere pro secunda missa. Qua de re sequentia proponuntur dubia dirimenda: In multis dioecesis nostrae parochiis existunt fundationes, quae vulgo *primissariae* vocantur (beneficia et simplicia et curata), quibus provisum est, ut dominicis diebus et festis praeter quasdam ferias sacrum celebretur matutinum. Eiusmodi vero fundationes ob exiguitatem redituum et penuriam sacerdotum plerumque proprio carent sacerdote. Ut autem menti fundatorum, quantum fieri potest, satisfiat, parochi, obtenta binandi facultate, diebus dominicis et festis binam dicunt missam: sacrum matutinale et sacrum summum pro populo, et in utroque sacro traditur homilia sive instructio catechetica, pro quo peculiari labore sive industria parochi hucusque ex eiusmodi fundationibus certam percipiunt remunerationem. Sunt et alii parochi, qui diebus dominicis et festis binam dicunt missam, partim in filialibus, quia necessitas moralis id exigit. Non pauci parochi ad ecclesias dissitas per vias asperas tempore aestus, frigoris et nivis tendunt, qui infra sacrum simul tradunt doctrinam christianam. Quaeritur igitur: 1. Utrum parochi, qui, ut menti fundatorum fiat satis, diebus dominicis et festis binam dicunt missam et pro fundatoribus primissarium applicant, salarium ex fundo primissarium pro peculiari labore percipere possint? 2. Utrum parochi, qui pro necessitate circumstantiarum diebus dominicis et festis sive in ecclesia parochiali sive filiali dissita bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, pro peculiari labore et industria certum salarium annuum a parochianis oblatum percipere valeant? — Die 23. Martii 1861 s. congregatio concilii censuit rescribendum: Posse permitti prudenti arbitrio episcopi aliquam remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione missae. *

---

l. Decretum s. congr. concilii datum 23. Martii 1861. Archiv. VI, 336.

* De implenda intentione eorum, qui missas fundaverunt, vel eleemosynas celebrandarum missarum obtulerunt, s. congregationi de propaganda fide proposita sunt sequentia dubia: 1. An liceat sacerdotibus uti paramentis nigris et celebrare missam de Requie, ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt, celebrandi secundum intentionem dantis eleemosynam, quando prorsus ignorant, quaenam sit illius intentio, pro defunctis necne? 2. An liceat sacerdotibus uti paramentis nigris, et celebrare missam de Requie, ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt celebrandi pro vivis? S. congreg. rituum rescripsit:

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. IX. Ubi nimius missarum celebrandarum numerus, statuant episcopi, abbates et generales ordinum, quod expedire iudicaverint.

Urbanus Papa VIII.

m. *Decreta de satisfaciendis et reducendis missarum celebrandarum oneribus constituuntur. Si pro pluribus missis celebrandis plura stipendia, quamvis exigua, collata fuerint, tot missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae ab offerente praescripta sunt, privilegiis quibuscunque sublatis. Sacerdos, qui cum certa eleemosyna missam celebrandam suscepit, eam alteri sacerdoti, parte eiusdem eleemosynae retenta, celebrandam committere non potest. Pecuniae vel bona mobilia ecclesiis relicta cum perpetua missarum obligatione statim deponantur atque in bonis immobilibus investiantur facta de onere annexo individua mentione. Onera perpetua missarum celebrandarum non suscipiantur nisi ordinarii vel in monasteriis generalis vel provincialis regularis consensus in scriptis datus accesserit. Eleemosynae manuales pro missis celebrandis tum demum suscipiantur, quum oneribus antea susceptis ita satisfactum fuerit, ut nova onera suscipi valeant. Prohibetur, ne episcopi in dioecesana synodo, vel generales regularium in capitulis generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post concilium Tridentinum aut in limine fundationis imposita, sed pro reductione ad sedem apostolicam recurrendum est, etiam si legatum ita tenue sit, ut non sit, qui velit onus illi iniunctum subire. Ne regularis disciplina nimia facilitate in oneribus missarum suscipiendis evertatur, opportuna remedia pro monasteriis Italiae statuuntur. Poenae in contravenientes constituuntur.*

Idem.

n. *Decreta supra allata declarantur. Quum ordinarius praescripserit eleemosynam congruam, sacerdotes accipientes stipendium minus congruum tenentur missas illis ab offerente praescriptas celebrare. Sacerdotes quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficii, capelli vel salarii, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non possunt eadem missa utrique obligationi satisfacere. Ubi testator nullam certam eleemosynam reliquit, ab episcopo praescribenda est eleemosyna congrua, quae respondeat oneribus missarum celebrandarum. Ecclesiae ac loca pia ex eleemosynis missarum celebrandarum nullam, ne minimam quidem portionem retinere possunt ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi forte alios non habeant reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint, et tunc portio, quam retinebunt, expensas pro missis celebrandis necessario subeundas nullatenus excedat. Verbis prioris decreti, quibus prohibetur, ne sacerdotes nova missarum onera suscipiant,*

Ad 1. Affirmative. Ad 2. Affirmative, dummodo non diverse praescripserit, qui dedit eleemosynam. Rescriptum s. congr. de propag. fide dat. 13. Oct. 1856. Archiv. VI, 460.

Cap. IX. Sess. XXV. de ref. c. 4.

m. Decreta s. congr. concilii auctoritate Urbani VIII. data die 21. Ianuarii 1625; in E. L. n. 43, IV, 91.

n. Declarationes s. congr. concilii super decretis allatis auctoritate Urbani VIII. editae; in E. L. l. c. pag. 95.

priusquam oneribus antea susceptis satisfecerint, non absolute nova onera interdicuntur; sed licet nova suscipere etsi iam susceptis non satisfecerint, dummodo celebrantes infra modicum tempus omnibus satisfacere possint; imo possunt suscipere nova onera missarum, quamvis post modicum tempus celebrari nequeant, dummodo offerentes eleemosynam id sciant et expresse consentiant; quod etiam valet in ecclesiis magnae devotionis et concursus. Circa poenas statutas et de monasteriis decreta nonnulla declarantur. *

Innocentius Papa XII.

o. *Decreta Urbani VIII. de celebratione missarum confirmantur. Condonationes et reductiones missarum, aeque ac compositiones, non nisi ex rationabili causa conceduntur. Compositionibus insuper semper adiicitur clausula:* dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur. *Rectores, superiores et ministri ecclesiarum saecularium et regularium habeant semper in patenti loco tabellam onerum perpetuorum et temporalium distincte descriptorum, quo facilius appareat, quatenus a recipiendis ulterioribus abstinere debeant. In sacrario duos libros retineant, in quorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero missas manuales, et tam illorum quam istarum adimplementum annotare, atque suis superioribus exactam rationem reddere teneantur. Regulares insuper habeant capsam, in qua omnes missarum eleemosynae reponantur, ac singulis mensibus de ipsis stipendiis et missarum celebratione coram patribus discretis rationem reddant. Poenae in contravenientes constituuntur.*

Benedictus Papa XIV.

p. *Poenae in reos mercimonii stipendiorum statuuntur. Quicunque eleemosynas seu stipendia maioris pretii pro missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines vel synodalia statuta exigunt, collegerit et missas, retenta sibi parte eorumdem stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora stipendia tribuuntur, celebrari fecerit, si laicus est excommunicationis, si clericus vel sacerdos, suspensionis poenam incurrat, a quo non nisi a summo pontifice absolvi possit.*

---

* Ad materiam praedictam spectant propositiones die 24. Septembr. 1665 ab Alexandro VII. damnatae, videlicet: Prop. 8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII. 9. Post decretum Urbani potest sacerdos, cui missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. 10. Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

o. Const., ***Nuper a congregatione***, dat. 23. Ian. 1697; in E. L. VII, 286.

p. Const., ***Quanta cura***, dat. 30. Iunii 1741 (Bullar. Bened. XIV. T. I.). Pius IX. const., ***Apostolicae sedis***, dat. 12. Octobr. 1869, colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis et ex iis lucrum captantes faciendo eas celebrari in locis, ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent, ipso iure excommunicationem papae reservatam incurrere sancivit.

Clemens Papa VIII.

q. *Poenae statuuntur contra eos, qui ad presbyteratus ordinem non promoti missas celebrare vel sacramentum poenitentiae administrare praesumserint.*

Benedictus Papa XIV.

r. *Celebrantibus missam vel fidelium confessiones excipientibus sine sacerdotali charactere sincera criminis confessio facta in primo interrogatorio nihil suffragare debet ad evadendam gravissimam poenam canonicam, ex qua brachio saeculari omnino tradendi sunt.*

Pius Papa V.

Cap. X. Prohibetur, ne vespertino tempore, sub quorumcunque indultorum praetextu, missae deinceps celebrentur. Omnia eiusmodi privilegia revocantur.

Idem.

Cap. XI. Facultates concessae graecis, latino ritu, et latinis, graeco more, missas et divina officia celebrandi, revocantur.

Benedictus Papa XIV.

s. *Sacrosancta Eucharistia in ecclesiis, quae parochiales non sunt, retineri non potest absque speciali sedis apostolicae indulto (cui ius concedendae eiusmodi facultatis privative competit) vel immemorabilis consuetudinis, quae huiusmodi indulti praesumptionem inducit. Episcopi autem est, licentiam impertiri ut Eucharistiae sacramentum publicae fidelium veneration exponatur quoties iusta et publica causa id fieri suadeat.*

Idem.

t. *Non licet, viatici paucisque aliis exceptis casibus, cuipiam non ieiuno eucharisticum sacramentum ministrare. Quod ut fas sit apostolicae sedis dispensatione opus est. Doctrina de hac materia latius exponitur.*

---

q. Const., *Etsi alias*, dat. 1. Dec. 1601; in E. L. III, 142; confirmata et extensa ab Urbano VIII. const., *Apostolatus*, dat. 23. Martii 1627; in E. L. IV, 144. Benedictus XIV. singulas poenas recensuit const., *Quam grave*, dat. 2. Aug. 1757.

r. Const., *Divinarum*, dat. 4. Aug. 1757 (Bullar. Bened. XIV. T. IV.); quam bullam confirmavit Clemens XIII. const., *Gravissimum*, dat. 6. Martii 1759. Alia const., *Sacerdos in aeternum*, dat. 20. April 1744, Benedictus XIV. constituit, quid observandum sit in probationibus contra non promotos ad presbyteratus ordinem missam celebrantes. Contra sacerdotes abutentes missae sacrificio ad sortilegia vide decretum s. Inquisitionis d. 5. Aug. 1745 (Bullar. Bened. XIV. T. I. in appendice).

Cap. X. Const., *Sanctissimus*, publicata 20. Martii 1566, §. 1, 2; in E. L. n. 4, II, 190.

Cap. XI. Const., *Providentia*, dat. 20. Aug. 1566, §. 1; in E. L. n. 12, II, 190. Benedictus XIV. const., *Etsi pastoralis*, dat. 25. Maii 1742, quid Italo-graecis in offerendo missae sacrificio et s. Eucharistiae sacramento asservando observandum sit, exponit. De indultis quae presbyteris in Russia Polonica degentibus concessit circa missam celebrandam in Ruthenorum ecclesiis conf. Benedicti XIV. const., *Impositi Nobis*, dat. 29. Martii 1751.

s. Const., *Quamvis iusto*, dat. 16. April. 1749, §. 24 (Bullar. Bened. XIV. T. III.).

t. Const., *Quadam de more*, dat. 24. Mart. 1756 (Bullar. Bened. XIV. T. IV.).

Idem.

u. Incendio exorto non licet s. Eucharistiae sacramentum ad portas ecclesiae vel in publicam viam deportare, ut cum eodem populo et igni furenti benedicatur.

Idem.

v. Ius indicendi preces ad ecclesiam, exclusa quacunque laicali potestate, spectat. Formulae precum ex iis, quae in ecclesia receptae sunt, adhibeantur.

Pius Papa IX.

x. Quas litanias in publicum edere et publice recitare liceat.

Proposito in s. Indicis congregatione dubio: „Quid censendum de libris precum variarum, in quibus praeter litanias maiores et lauretanas, ut vocant, aliae continentur, vi decretorum generalium apostolicae sedis hactenus vetitae ac nihilominus diuturno iampridem usu in plerisque catholici orbis regionibus receptae?“ Responsum fuit: Provisum nuper decreto supremae congregationis s. Officii feria IV. die 18. Aprilis, cuius haec sunt verba: Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in breviariis, missalibus, pontificalibus et ritualibus continentur, et praeter litanias B. Mariae Virginis, quae in sacra aede Lauretana decantari solent, non edantur sine revisione et approbatione ordinarii, nec publice in ecclesiis, publicis oratoriis et processionibus recitentur absque licentia vel approbatione sacrorum rituum congregationis.

Benedictus Papa XIV.

y. Disciplina ecclesiae in exorcismis servanda traditur. Ad exorcizandos vere energumenos ab ordinario sacerdos perspectae pietatis, vitae integritatis atque prudentiae eligatur, qui in omnibus ad normam in Rituali Romano praescriptam procedere debet, atque nulla ex parte ab ea discedere praesumat. *

Alexander Papa VII.

z. In ecclesiis vel oratoriis, dum officia divina celebrantur vel sanctissimum Eucharistiae sacramentum manet expositum, nihil omnino cantetur praeter ea verba, quae a breviario vel missali Romano in officiis de proprio vel de communi pro currenti cuiusque diei festi vel sancti solemnitate praescribuntur, vel quae saltem a sacra scriptura aut sanctis patribus desumpta sint, quae tamen prius a congregatione sacrorum rituum specialiter approbanda sunt, exclusis modulis iis, qui choreas et profanam potius quam ecclesiasticam melodiam imitantur. Graviores poenae peccantibus constituuntur. Superiores et rectores musices praefec-

---

u. Const., *Quum ut recte nosti*, dat. 27. Iulii 1755 (Bullar. Bened. XIV. T. IV.).

v. Const., *Quemadmodum preces*, dat. 23. Mart. 1743 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

x. Decretum s. congr. Indicis dat. 23. Aprilis 1860. Archiv. VI, 460. Conf. decretum s. rituum congregationis datum 6. Sept. 1601; in E. L. III, 193. Litaniis supra laudatis adiungas ex decreto s. congr. rituum d. 12. Aug. 1862 litanias sanctissimi nominis Iesu.

y. Const., *Sollicitudini*, dat. 1. Octobr. 1745 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

* De iure benedictionum vide infra de poenit. et remiss. V, 18.

z. Const., *Piae sollicitudinis*, dat. 23. April. 1657; in E. L. n. 36, VI, 55.

tos ad huiusmodi munus non recipiant, nisi prius de observando hoc decreto iuramentum praestiterint.

TITULUS XXIV.

DE BAPTISMO ET EIUS EFFECTU.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Doctrina de baptismo.

TITULUS XXV.

DE RELIQUIIS ET VENERATIONE SANCTORUM.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. De invocatione, veneratione et reliquiis sanctorum et sacris imaginibus.

Urbanus Papa VIII.

a. *Confirmatur decretum congregationis Rom. et universalis Inquisitionis, quo cavetur, ne imagines personarum cum fama sanctitatis defunctarum, sed nondum a sede apostolica canonizatarum vel beatificatarum, cum splendoribus aut aureolis depictae proponantur, nec libri de miraculis aliisve beneficiis tamquam istarum personarum intercessione factis vel impetratis sine ordinarii approbatione imprimantur, nec tabellae, imagines et luminaria ad eorum sepulcra apponantur, poena in decretum peccantibus statuta.*

Idem.

b. *Imagines sacras non aliis formis effingere, neque alio habitu vestire licet, quam iis, quae antiquo ecclesiae usu recepta sunt, ita ut quae oculis fidelium subiiciuntur, non inordinata et insolita appareant, sed devotionem et pietatem excitent. Inde imagines profanae, vel indecentiam et inhonestatem prae se ferentes in ecclesiis non exponantur, et si quae expositae fuerint, amoveantur.*

Benedictus Papa XIV.

c. *Quid observandum sit in depingendis imaginibus sanctissimae Trinitatis. Quae imagines s. Trinitatis communiter approbatae et tuto permittendae, quae reprobandae sint. De cautelis praestandis in conficiendis processibus super fama sanctitatis servorum Dei.*

Tit. XXIV. Sess. VII. De baptismo. Exhibentur XIV. canones de baptismo. De baptismo Iudaeorum vide supra a. b. de convers. infidel. III, 18. Cf. infra c. de cland. despons. IV, 2.

Tit. XXV. Cap. I. Sess. XXV. Decretum de invocatione, veneratione et reliquiis sanctorum et sacris imaginibus.

a. Const., *Sanctissimus*, dat. a. 1625; in E. L. n. 37, IV, 85. De eadem materia conf. Urbani VIII. const., *Coelestis Hierusalem*, dat. 5. Iulii 1634; in E. L. n. 180, V, 260.

b. Const., *Sacrosancta*, dat. 15. Martii 1642; in E. L. n. 280, V, 365.

c. Const., *Sollicitudini*, dat. 1. Octobr. 1745 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

Idem.

d. *Servorum dei beatificationes et beatorum canonizationes in Urbe celebrandae in basilica Vaticana privative quoad reliquas peragi debent.*

Innocentius Papa XII.

e. *Ex decreto s. rituum congregationis dato a. 1630 possunt in ecclesia aliqua recitari officia et celebrari missae de illis sanctis, quorum corpora vel insignes reliquiae in ea asservantur; sed id de sanctis dumtaxat in martyrologio Romano descriptis intelligendum est, et dummodo constet de identitate corporis seu reliquiae insignis illiusmet sancti, qui reperitur in martyrologio Romano descriptus. De ceteris autem sanctis in martyrologio non descriptis, aut quibus a s. sede non fuerit specialiter concessum, officia recitari et missas celebrari nefas est, non obstante quod ipsorum corpora vel insignes reliquiae in ecclesia asserventur. Quibus tamen ab ordinariis locorum approbatis debitam fidelium venerationem exhibendam esse censuerunt, sed absque officio et missa, sub poenis de non satisfaciendo praecepto recitandi officium aliisque in constitutione Pii V. contentis.*

Paulus Papa IV.

Cap. II. Festivitas cathedrae, qua Petrus apostolus Romae primum sedit, quintodecimo Calend. Februarii in toto orbe sub duplici officio celebranda praescribitur.

Pius Papa V.

Cap. III. Festum s. Thomae de Aquino uti festum de praecepto in regno Neapolitano, alibi vero, quemadmodum sanctorum quatuor ecclesiae doctorum ex praescripto Bonifacii VIII. festivitates servantur, celebrandum statuitur.

Sixtus Papa V.

Cap. IV. Sanctus Bonaventura numero sanctorum catholicae ecclesiae doctorum adscribitur. Scripta eius commendantur.

TITULUS XXVI.

DE ECCLESIIS AEDIFICANDIS VEL REPARANDIS.

Leo Papa X.

Cap. I. Regulares quicumque in ecclesiis per eos pro tempore aedificandis primum lapidem per alienum episcopum poni facere non possint, nisi ubi or-

---

d. Const., *Ad sepulcra*, dat. 21. Nov. 1741 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

e. Decretum generale sacr. rituum congregationis approbatum ab Innocentio XII. d. 19. Octobr. 1691; in E. L. n. 117, VII, 285.

Cap. II. Const., *Ineffabilis divinae*, dat. 6. Ian. 1558, princ., §. 1, 2; in E. L. n. 13, I, 832.

Cap. III. Const., *Mirabilis deus*, dat. 11. April. 1567, princ., §. 1—3; in E. L. n. 36, II, 238.

Cap. IV. Const., *Triumphantis*, dat. 14. Maii (in compendium redacta est); in E. L. n. 76, II, 677.

Tit. XXVI. Cap. I. Const., *Dum intra mentis*, dat. 19. Dec. 1519, §. 12; in E. L. n. 22, I, 582.

dinarius, bis aut ter cum debitis reverentia et instantia requisitus, sine legitima causa id recusaverit. (Est integer textus.)

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. II. Episcopi transferant beneficia ex ecclesiis, quae nequeunt restaurari; alias vero reparari curent; quid in hoc servandum sit.

TITULUS XXVII.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM.

Innocentius Papa VIII.

Cap. I. Causarum prosecutiones in curia Romana, citationes, mandata, rescripta iustitiae vel gratiae eiusdem curiae nullo praetextu impediantur ab iis, contra quos eiusmodi causae in curia commissae, vel rescripta data fuerint. Neque clerici prohibeantur, quominus causas in curia prosequantur, beneficia renuncient, vel iuri in illis sibi competenti cedant, poena graviori in decretum peccantibus statuta.

Clemens Papa VII.

Cap. II. Constitutiones provinciales et synodales prohibentes quocunque etiam obviandi falsitatibus vel fraudibus praetextu, ne literae apostolicae sine placito ordinariorum, et nisi prius per eosdem ordinarios seu eorum officiales visae et admissae fuerint, exsecutioni mandentur, irritae declarantur et nullae. Iudices, exsecutores deputati, notarii literas apostolicas sine alicuius personae interventu vel consensu libere exsequantur. Quos si quis, sive saecularis sive ecclesiasticus, cuiuscunque gradus vel dignitatis, in exsecutione dictarum literarum impediverit, poenis statutis subiaceat.

Cap. II. Sess. XXI. de ref. c. 7.

Tit. XXVII. Cap. I. Const., *Officii nostri*, dat. 25. Ian. 1491, §. 2—4; in E. L. n. 18, I, 449. Conf. supra h. i. de iudiciis II, 1.

Cap. II. Const., *Romanus pontifex*, dat. 29. Dec. 1533, §. 8—11; in E. L. n. 39, I, 693. Huic constitutioni adiungas decreta pontificia contra impedientes quocunque modo exsecutionem litterarum apostolicarum. Decreta eiusmodi exstant in bulla, quae incipit, *In coena Domini*, aliisque pontificiis constitutionibus. Exempli gratia reprobatur et nullum declaratur a Clemente XI. die 18. Aug. 1719 edictum senatus Taurinensis *„regium exequatur“* statuens, quam nullitatis declarationem Pius IX. in consistorio secreto die 22. Ian. 1855 habito innovavit. Conf. Pii IX. Acta V. II. p. 55 sqq. Pius IX. in pluribus allocutionibus leges saecularis potestatis iurisdictionem, libertatem et immunitatem ecclesiasticam violantes reprobavit. Vide Pii IX. Acta Vol. II. p. 436; II, 441; I, 224; I, 251; I, 280; I, 383. Vide etiam *„Syllabum complectentem praecipuos nostrae aetatis errores, qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis aliisque apostolicis literis SSmi Dni N. Pii Papae IX.“* §. V. „Errores de ecclesia eiusque iuribus“, citatas ibidem allocutiones literasque apostolicas.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. III. Confirmantur praedecessorum summorum pontificum constitutiones editae super decimarum solutione, contra violatores ecclesiarum, incendiarios, offendentes, captivantes vel retinentes praelatos aliasque personas ecclesiasticas, ecclesiarum vel clericorum bona, iura et iurisdictionem usurpantes vel perturbantes, sive de beneficiis ecclesiasticis pro libitu disponentes, necnon statuta contra libertatem ecclesiasticam condentes. Poenae in contravenientes statuuntur.

Idem in eodem.

Cap. IV. Fructuum ecclesiarum cathedralium, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum dispositio et administratio ad summum pontificem et eas personas pertinet, qui ecclesias, monasteria vel beneficia canonice obtinent; unde saeculares principes nullo praetextu se intromittere, bona vel fructus ecclesiae sequestrare, occupare vel detinere debent. Innovantur decreta antiqua, quibus prohibetur, ne reges aliive saeculares principes clericis, praelatis et aliis personis ecclesiasticis collectas, decimas vel alia huiusmodi onera imponant. Poenae gravissimae in decretum peccantibus constituuntur.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. V. Quae sunt iuris ecclesiastici principibus saecularibus commendantur.

Pius Papa V.

Cap. VI. Regulae circa cultus observantiam, et poenae contra eos, qui in ecclesiis irreverentes vel inhonesti fuerint, constituuntur.

Idem.

Cap. VII. Monasteria et alia loca pia ab onere hospitandi milites eximuntur.

Gregorius Papa XIV.

Cap. VIII. Immunitas ecclesiastica, abrogatis omnibus privilegiis, inviolabiliter observanda est. Excipiuntur casus generales, quibus criminosi immunitate

---

Cap. III. Const., *Regimini universae*, dat. 15. Maii 1515, §. 10, 11; in E. L. n. 10, I, 552. Ex constitutione, *Apostolicae sedis*, dat. 12. Octobr. 1869, censurae excommunicationis speciali modo Papae reservatae ipso iure subiacent interficientes, percutientes, carcerantes cardinales aliosque praelatos maiores. Vide tit. de poenis V, 17 in fine. Poenam excommunicationis non reservatae vi eiusdem constitutionis incurrunt alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico. Vide l. c.

Cap. IV. Const., *Supernae dispositionis*, dat. 21. Maii 1514, §. 39, 40; in E. L. n. 7, I, 543.

Cap. V. Sess. XXV. de ref. c. 20.

Cap. VI. Const., *Quum primum*, dat. 1. April. 1566, §. 4, 5; in E. L. n. 5, II, 191. Pauca a textu bullae discrepant. Loco certae poenae pecuniariae, quae in bulla legitur, arbitraria poena statuitur.

Cap. VII. Const., *Quum sicut*, dat. a. 1572, §. 1—4 (paucis mutatis); in E. L. n. 148, II, 384. Bulla eximit solum monasteria territorii pontificii. In libro nostro generalis exemptio statuitur.

Cap. VIII. Const., *Quum alias*, dat. 21. Martii 1591, princ., §. 2—7, 10; in E. L. n. 7, II, 765.

locali gaudere non debent. Sed horum etiam criminum exceptorum rei a potestate laicali non sine interventu personae ecclesiastica ex ecclesiis aliisve locis piis extrahantur. Modus procedendi in tradendis huiusmodi reis praescribitur. De haeresi deque criminibus quibuscunque a personis ecclesiasticis commissis curia ecclesiastica privative cognoscat.

Benedictus Papa XIII.

a. *Inquisiti laici in quibusdam casibus et delictis, quae enumerantur, immunitate ecclesiarum non gaudeant.*

Clemens Papa XII.

b. *Praeter casus a Gregorio XIV. et Benedicto XIII. exceptos alia constituuntur delicta, quorum qui rei fuerint a beneficio asyli excluduntur.*

Benedictus Papa XIV.

c. *Haeretici et apostatae a fide immunitate locali non gaudeant. Quae generatim observanda sint in extrahendis reis statuuntur.* *

TITULUS XXVIII.

NE CLERICI VEL MONACHI SAECULARIBUS NEGOTIIS SE IMMISCEANT.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. In sacris ordinibus constituti, dum in studiis generalibus philosophiae vel poësis studiis operam navant, s. theologiae et iuris pontificii studium minime negligant vel posthabeant.

Clemens Papa IX.

a. *Monachi vel religiosi cuiuscunque ordinis nullibi et nullo sub praetextu audeant mercaturam exercere.*

Benedictus Papa XIV.

b. *Clericis omnis negotiatio, etiam alieno nomine facta, interdicitur sub poenis contra clericos negotiatores latis, ita ut bona ab eis alieno nomine illicite acquisita spolii poenae, ad formam constitutionis Pii IV., quae incipit* „Decens esse“,

---

a. Const., ***Ex quo***, dat. 8. Iunii 1725; in E. L. n. 4, VIII, 484.

b. Const., ***In supremo***, dat. 1. Ianuarii 1734. Benedictus XIV. const., ***Officii nostri***, dat. 20. Febr. 1750 sanctiones Benedicti XIII. extendit, et nonnulla dubia de iis exorta resolvit (Bull. Bened. XIV. T. III.).

c. Const., ***Elapso proxime***, dat. 20. Febr. 1751 (Bullar. Bened. XIV. T. III.).

* Pius IX. const., ***Apostolicae sedis***, dat. 12. Oct. 1869, eos qui immunitatem asyli ecclesiastici violari iusserint aut ausu temerario violaverint, censurae excommunicationis Rom. pontifici reservatae ipso facto subiacere statuit.

Tit. XXVIII. Cap. I. Const., ***Apostolici regiminis***, dat. 19. Dec. 1519, §. 4; in E. L. I, 542.

a. Const., ***Sollicitudo***, dat. 17. Iunii 1669; in E. L. VII, 281.

b. Const., ***Apostolicae***, dat. 18. Febr. 1741 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

subiaceant. Negotia a laicis inchoata et ad clericos delata statim dimittantur, nisi forte necessitate aliqua urgente congregatio concilii vel ordinarius continuationem indulserit. Exempti a spolio non intelliguntur exempti quoad bona per illicitam negotiationem acquisita.

Clemens Papa XIII.

c. *Episcopi omni sollertia caveant, ne clerici negotiis saecularibus sese immisceant. Cambium activum natura sua esse actum verae et propriae negotiationis, ideoque clericis prohibitum. Facultates negotiandi non concessae censeantur, nisi constet indigentias clericorum vere existere et nulla alia ratione levari posse; eo etiam casu nunquam concedatur eiusmodi negotiationis genus, quod clericalem statum et characterem dedeceat. In suorum bonorum administratione debent clerici prudenter se gerere, ne huius saeculi curae omnino dediti appareant. Caute agant episcopi ne quem subditum ad sacros ordines admittant, qui ex beneficio ecclesiastico vel pensione aut ex patrimonio sibi constituto, omni fraude submota, eam non percipiat reipsa summam, quae synodalibus cuiusque dioecesis statutis aut legitima consuetudine definita dignoscatur.*

---

c. Const., ***Quum primum***, dat. 17. Sept. 1759 (Bullar. Roman. edit. Barbéri T. I. p. 230).

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QUARTUS.

TITULUS I.

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIIS.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Doctrina et canones de sacramento matrimonii exhibentur *.

Tit. I. Cap. I. Sess. XXIV. Doctrina de sacramento matrimonii. De sacramento matr. can. 1—12.

* Propositiones Synodi Pistoriensis damnatae a Pio VI. per const., *Auctorem fidei*, (dat. 26. Aug. 1794), quae ad caput I. citat. respiciunt, hae sunt: LVIII. Propositio, quae statuit, sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subiacere; quasi actus disponens ad sacramentum non subiaceat sub hac ratione iuri ecclesiae: falsa, iuris ecclesiae, quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes, laesiva, disciplinae ab ecclesia constitutae derogans. LIX. Doctrina synodi asserens, *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare, contractui matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae ipsum nullum reddunt dicunturque dirimentia;* quod *ius originarium* praeterea dicitur eum *iure dispensandi essentialiter connexum;* subiungens, *supposito assensu vel conniventia principum, potuisse ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii;* quasi ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare: canonum 3, 4, 9, 12. sessionis XXIV. concilii Tridentini eversiva, haeretica. LX. Item rogatio synodi ad potestatem civilem, ut *e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem atque illud, quod dicitur publicae honestatis, quorum origo reperitur in collectione Iustiniana;* tum ut *restringat impedimentum affinitatis et cognationis ex quacunque licita aut illicita coniunctione provenientis, ad quartum gradum iuxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam; ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae;* quatenus civili potestati ius attribuit sive abolendi sive restringendi impedimenta ecclesiae auctoritate constituta vel comprobata; item qua parte supponit, ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse iure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis: libertatis ac potestatis ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta.

Pius IX. literis, *Ad apostolicae sedis*, dat. 22. Aug. 1851 (cf. Pii IX. Acta etc. I, 285.), quibus damnavit et prohibuit opus cui titulus „*Iuris ecclesiastici institutiones Ioan. Nepom. Nuytz in regio Taurinensi athenaeo professoris* — Itemque — *In ius ecclesiasticum universum tractationes* auctoris eiusdem, inter alias sequentes de matrimonio propositiones proscripsit hisce

Ex eodem.

Cap. II. Publicae honestatis impedimentum certis limitibus coarctatur.

Pius Papa V.

Cap. III. Caput praecedens (quod est tertium de ref. matrim. sess. XXIV.), quo cavetur, impedimentum publicae honestatis, ubi sponsalia valida non fuerint, prorsus tolli, ubi vero valida fuerint, non excedere primum gradum, de sponsalibus per verba de futuro conceptis dumtaxat, non autem de matrimonio per verba de praesenti contracto, sed non consummato (quod improprie sponsaliorum nomine continetur), intelligendum est. In huiusmodi enim matrimonio durat adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de iure veteri ante concilium Tridentinum introductum erat.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. IV. Vagi matrimonio caute iungendi.

---

verbis: Plura quoque de matrimonio falsa asseruntur: „Nulla ratione ferri posse, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti; matrimonii sacramentum non esse, nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse; iure naturae matrimonii vinculum non esse indissolubile; ecclesiam non habere potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed eam civili potestati competere, a qua impedimenta existentia tollenda sint: causas matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinere; ecclesiam sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepisse, non iure proprio sed illo iure usam, quod a civili potestate mutuata erat; Tridentinos canones (sess. XXIV. c. 4), qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi ecclesiae negare audeant, vel non esse dogmaticos, vel de hac mutuata potestate intelligendos.“ Quin addit „Tridentinam formam sub infirmitatis poena non obligare ubi lex civilis aliam formam praestituat et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere; Bonifacium VIII. votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primum asseruisse.“

Pius IX. in allocutione habita in consistorio secreto die 27. Sept. 1852 (Pii IX. Acta etc. I, 383). „Nemo ignorare potest, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentum a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris, praeter sacramentum, coniunctionem cuiuscunque etiam civilis legis vi factam nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari nunquam posse, et omnino spectare ad ecclesiae potestatem ea omnia decernere, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere.“

Pius IX. in allocutione habita in consistorio secreto die 29. Octobr. 1866. „Gubernium [Subalpinum] non dubitavit quoque de civili, uti appellant, matrimonio legem ferre, quae non solum catholicae doctrinae, verum etiam civilis societatis bono summopere adversatur. Hac enim lege matrimonii sacramenti dignitas et sanctitas proculcatur, eiusque institutio evertitur, ac turpissimus fovetur concubinatus. Namque inter fideles matrimonium esse non potest, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, ideoque ad ecclesiae potestatem omnino spectat ea omnia decernere, quae ad matrimonii sacramentum possunt pertinere.“

Cap. II. Sess. XXIV. de reform. matr. c. 3.

Cap. III. Const., *Ad Romanum spectat,* dat. 1. Iulii 1568, §. 1, 2; in E. L. n. 12, II, 275.

Cap. IV. Sess. XXIV. de ref. matr. c. 7.

Ex eodem.

Cap. V. Ne domini temporales aut magistratus quidquam libertati matrimonii contrarium moliantur.

TITULUS II.

DE CLANDESTINA DESPONSATIONE.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Matrimonii solenniter contrahendi forma in concilio Lateranensi praescripta innovatur; quoad proclamationes dispensare possit episcopus. Qui aliter quam praesentibus parocho et duobus vel tribus testibus contrahit, nihil agit.

Benedictus Papa XIV.

a. *De matrimoniis occulte celebrandis disseritur. In remittendis matrimoniorum publicationibus episcopi difficiliores sint, prout monet concilium Tridentinum. Maiorem etiam vigilantiam exhibeant, ne post remissas denunciationes celebretur matrimonium coram parocho praesentibus duobus vel tribus testibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia vel rumor oriatur. Id enim licite non fit, nisi ex gravi, urgenti et urgentissima causa. A s. Poenitentiaria eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi matrimonium, quo vir et femina in figura matrimonii publice degentes, et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent. In hoc et aliis similibus casibus dispensari expedit. Sed ordinarius in sedulo investiganda legitima et urgenti causa dispensationis versari debet. Inquirendum est de personis matrimonium secreto contrahere petentibus, an eius qualitatis et conditionis sint, quae id probe exposcant; an sint sui vel alieni iuris; an filiifamilias, quorum nuptiae patri iuste dissentienti sint invisae; an res sit de personis ecclesiasticis licet in minoribus constitutis. Imprimis curandum est, ut contrahentes indubia et a quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi. Minister matrimonii secrete celebrandi contrahentium proprius parochus deputetur; extraneus sacerdos non nisi gravi ex causa. Contrahentes de suo debito erga subolem procreandam, de ea quam primum baptizanda, ut legitima agnoscenda, pietate bonisque moribus imbuenda, eiusque successionis iure moneantur. Celebrato matrimonio indelate a parocho vel sacerdote ministro illius scriptum documentum ordinario exhibeatur, qui illud in libro pro matrimoniis secretis apposite compacto transcribendum curet. Liber clausus et sigillis obsignatus in cancellaria episcopali custodiatur. Suboles procreata baptizanda et episcopo denuntianda, ut nomina in libro baptizatorum, qui in cancellaria episcopali clausus custoditur, describantur.*

Cap. V. Sess. XXIV. de ref. matr. c. 9.

Tit. II. Cap. I. Sess. XXIV. de ref. matr. c. 1. De decreto concilii Trid. observando et ritu in celebrandis matrimoniis adhibendo ab Italo-Graecis vide Benedicti XIV. const. „*Etsi pastoralis*“ dat. 15. Mart. 1742, §. VIII.

a. Const., *Satis vobis*, dat. 17. Nov. 1741 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

Idem.

b. *Matrimonium inter virum Iudaeum et mulierem haereticam contractum est invalidum ob impedimentum cultus disparitatis generali ecclesiae more introductum et legis vim obtinens. Inde Judaeo baptizato et erroribus a muliere eiuratis consensus renovandus est.*

Gregorius Papa XVI.

c. *Quid de matrimonio cum haeretico inito iudicandum sit stante praesumptione baptismi invalide collati parti haereticae.*

Sanctissimus in audientia habita die 20. Decembris 1837, audita relatione dubii, utrum scilicet in praesumptione baptismi invalide collati parti haereticae matrimonium cum parte catholica a sede apostolica dispensata inire cupienti conferri debeat iterum baptisma sub conditione, dixit: Detur decretum latum sub die 17. Sept. 1830, ut sequitur. Quaesitum erat an Calvinistae et Lutherani in illis partibus degentes, quorum baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi sint, ita ut inter eos et Catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur? Cui instantiae responsum fuit: 1. Quoad haereticos, quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis. 2. Quoad alios, qui iuxta eorum ritualia baptizant valide, validum esse baptisma. Quodsi dubium persistat, etiam in primo casu, censendum est validum in ordine ad valorem matrimonii. 3. Si autem certe cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium. — Hisce omnibus Sanctissimus superaddi mandavit: In tertio casu praefati decreti respicienti nullitatem certam baptismi in parte haeretica, recurratur in casibus particularibus.

Sixtus Papa V.

d. *Eunuchi et spadones utroque teste carentes ad matrimonium contrahendum omnino inhabiles declarantur. Eorum coniugia cum mulieribus, sive defectum scientibus sive nescientibus, prohibenda, ipsi vero a mulieribus, cum quibus matrimonii praetextu vivunt, separandi sunt.*

Benedictus Papa XIV.

e. *Prohibetur ne Iudaei ad fidem conversi uxoribus suis non conversis libellum repudii iudaico more transmittant, sed coniux conversus uxorem more solito interpellet, an etiam ipsa converti et cohabitare velit sine contumelia creatoris. Renuente autem muliere liberum ei erit aliud matrimonium contrahere. Quod de marito converso erga uxorem obtinet, etiam de uxore conversa erga maritum in*

---

b. Const., *Singulari nobis*, dat. 9. Febr. 1749 (Bullar. Bened. XIV. T. III.). Dispensationem super impedimento disparitatis cultus a Pio IX. concessam vide infra f. h. t.

c. Decreta exstant in concilio plenario Baltimorensi II. a. 1866 habito, p. 317.

d. Const., *Quum frequenter*, dat. 27. Iunii 1587; in E. L. n. 89, II, 634.

e. Const., *Apostolici ministerii*, dat. 16. Sept. 1747 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).

infidelitate remanentem intelligendum est. Ex gravi aliqua causa Romanus pontifex interpellationem remittit. De theologorum quaestione, quando dissolvatur matrimonium infidelium ob conversionem unius coniugis latius disseritur.

Pius Papa IX.

f. Super impedimento cultus disparitatis aliquando dispensatur. Quae eo casu requirantur, exponitur.

Beatissime Pater! N. N. presbyter et missionarius in insula *s. Thomae* in Indiis occidentalibus, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime exponit quod sequitur. In insula degit familia quaedam quae tempore schismatis causae religionis catholicae plura et magna quidem servitia praestitit. Etenim cum omnes fideles ab unione ecclesiae recessissent, quinque eiusdem familiae, una cum matre sua ecclesiam frequentare sacramentaque recipere nunquam intermiserunt. Pater vero, qui inter primarios insulae viros annumerandus est, omni tempore et omni quo poterat modo ecclesiae ministros fovere et defendere non cessavit. Hic autem pater et caput familiae X. dictus, *hebraeus* est, ideoque ipsius mulier catholica cum eo vivit in matrimonio invalido, quamvis civiliter legitimo, quod bona fide, ut videtur, coram praecone acatholico in insula quadam acatholicorum contraxit. Hunc statum miserandum deplorant optimae et piisimae filiae haud secus ac ipsa mater. Hodie vero nescit vincula rumpere nec abire a marito, qui alias honestam ducit vitam et catholicis semper amicissimus est, quin tamen baptismum recipere velit. In his igitur rerum circumstantiis ac maximis difficultatibus orator humillime Sanctitati Vestrae supplicat pro opportuno remedio, scilicet pro dispensatione in impedimento disparitatis cultus. — Feria IV. die 6. Iunii 1860. SSmus. Dn. D. Pius divina providentia Papa IX. in solita audientia adsessori s. Officii impertita, audita relatione suprascripti libelli una cum Emorum ac Revdrum cardinalium generalium inquisitorum suffragiis benigne remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae episcopi facta etiam, si opus sit facultate subdelegandi, qui curet prius, ut vir baptizetur, et quatenus id nequeat obtineri, dispensare valeat oratricem catholicam super impedimento disparitatis cultus ut licite et legitime matrimonium contrahere possit cum viro iudaeo, de quo in precibus, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab ecclesia praescriptis et praesertim de amovendo a catholica coniuge perversionis periculo, de conversione coniugis iudaei ab illa pro viribus curanda ac de universa prole tam nata, quam forsitan nascitura, in catholicae religionis sanctitate omnino educanda. Quodsi aliqua incommoda obventura sint ob renovationem consensus episcopus attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus et in dubiis resipiscentiae signis oratricis catholicae, sanare valeat in radice matrimonium ab ipsa oratrice contractum cum iu-

---

f. Decretum Pii PP. IX. latum in audientia die 6. Iunii 1860 adsessori s. Inquisitionis impertita; Archiv. VII, 278.

daeo X. Ipse vero ordinarius aut eius delegatus in hoc sibi commisso munere explendo declaret, se agere nomine Sanctitatis Suae et tanquam ab apostolica sede specialiter delegatum. Serio moneat oratricem de gravissimo patrato scelere, salutares ei poenitentias imponat, a censuris absolvat, simulque declaret ob hanc dispensationem a se acceptam matrimonium fieri validum, legitimum, indissolubile evadere iure divino et prolem susceptam et suscipiendam legitimam habendam esse. Oratrici etiam gravissime imponat seduloque conversionem viri ad religionem catholicam et prolis universae educationem in eadem catholica religione. Cum autem de matrimonii validitate etiam in foro externo constare debeat, idem episcopus nomen cum reliqua personali indicatione tam oratricis quam viri in registris describi iubeat, simulque autographum documentum praesentis concessionis, absolutionis a censuris, acceptationis et declarationum oratrici factarum, ut supra, servetur in curia episcopali et exemplar authenticum eidem oratrici sedulo custodiendum tradatur. Contrariis quibuscunque minime obstantibus.

Benedictus Papa XIV.

g. *Quae sit sedis apostolicae agendi ratio in causis ubi de matrimoniis mixtis quaestio est. Vetus et nova sedis apostolicae disciplina matrimonia catholicorum cum haereticis contrahenda reprobavit et reprobat, atque eorum ecclesiae ministrorum zelum semper commendavit, qui fideles ab eiusmodi connubiis ineundis quantum fieri potuit, absterrere, nuptiasque quo meliori modo impedire satagerent. Dispensationes super impedimento mixtae religionis non concedebantur nisi hac expressa conditione adiecta, nimirum abiurata prius haeresi. Rarissime et urgente gravissima causa sine hac apposita lege dispensatio concedi solet. Sed tunc etiam opportunae clausulae adiiciuntur, tum ne coniux catholicus ab haeretico perverti possit, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, tum etiam, ut proles utriusque sexus ex eo matrimonio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Regulae et clausulae in concedendis et exsequendis dispensationibus observandae exhibentur. (Vide supra a. b. de rescriptis I, 3.)*

Benedictus Papa XIV.

h. *Dubia exorta de validitate matrimoniorum, quae in locis foederatorum ordinum dominio in Belgio subiectis iniri solent inter haereticos ex utraque parte, sive inter catholicos et haereticos non servata forma Tridentina, dirimuntur. Declarantur valida huiusmodi matrimonia in istis provinciis contracta et contrahenda, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum. Laudantur animarum pastores, qui fideles ab ineundis mixtis nuptiis, quantum fieri potest absterrere satagunt.*

---

g. Const., *Magnae Nobis*, dat. 29. Iunii 1748; Const., *Ad tuas manus*, dat. 8. Aug. 1748 (Bullar. Bened. XIV. T. II.). Quoad dispensationes et earum exsecutiones vide supra d. e. f. g. de rescriptis I, 3.

h. Const., *Matrimonia*, dat. 4. Nov. 1741 (Bullar. Bened. XIV. T. I.). Conf. constitutiones citatae supra a. b. c. de rescriptis I, 3.

Pius Papa VI.

i. Quae circa matrimonia inter haereticos ex utraque parte sive inter catholicos et haereticos in Hungaria *contracta observanda sint. Quid de matrimoniis haereticorum contractis in gradibus prohibitis, necnon de assistentia parochi in illis matrimoniis adhibenda.*

... Utrumne matrimonia non observata lege Tridentina coram ministro haeretico in Hungaria, ab haereticis quidem inter se saepe, ubi autem alterutra contrahentium pars est catholica, nonnunquam, inita ac celebrata, pro virtute decreti Tridentini sint nulla et irrita, vel vero provisio rec. mem. Benedicti XIV. ad Belgium atque alias eius provincias data sit ad matrimonia quoque praedicto modo inita et ineunda per Hungariam extendenda? Noveritis igitur, non unam eamdem utrorumque habendam esse rationem. Quamquam enim commendata provisio, donec per s. sedem apostolicam aliter declaratum non fuerit, tanquam pro non extensa ad Hungariam ab omnibus censenda sit, priora tamen, nempe haereticorum inter se coram ministro haeretico inita ita a te oportet dissimulari, ut super eorundem validitate seu invaliditate ab omni prorsus abstinens nedum ferendo iudicio, verum etiam promovenda disputatione, ex qua non tam utilitatis fructus, quam offensionis et periculi metus in catholicae religionis perniciem foret exspectandus. Posteriora autem, scilicet catholicorum cum haereticis, quae apostolica sedes, prout ex eodem, quem laudas, felicis recordationis Benedicto XIV. plane didiceris, in aliquibus locis, cum ea impedire non valeat, tolerat quidem et ecclesiastica quadam prudentia, commiseratione et mansuetudine, ne maiora enascantur mala, dissimulat; et quamvis matrimonia mixta coram parocho catholico, absque alio dirimente impedimento, celebrata valida dignoscantur: prudentiam tamen tuam non latet, ab huiusmodi nuptiis velut catholico homine prorsus indignis semper ecclesiam abhorruisse, nec quidquam intentatum reliquisse, quo fideles suos ab eis ineundis omni ope deterreret, proptereaque si quibusdam in regionibus propter locorum et temporum difficultatem ea tolerari contingat, id quidem ad eam referendum est aequanimitatem, quae nullo pacto approbationis vel consensus cuiuspiam loco habenda sit, sed merae patientiae, quam ad graviora vitanda mala offert necessitas, non voluntas. 2. Verum enimvero, inquis, quia haeretici in Hungaria matrimonia inter se etiam in gradibus prohibitis contraherent vigore solius regiae concessionis, iure merito mihi quaeri posse videtur: quidnam de huiusmodi matrimoniorum valore sit pronunciandum? At nisi ecclesiae, cuius auctoritate introducta sunt, legitima impedimentorum dispensatio intercesserit, invalida esse in eadem Benedicti XIV. declaratione satis aperte decernitur. Statuit enim, ut vel in ipsis Foederati Belgii provinciis matrimonia inter haereticos, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit

---

i. Responsum s. congregationis concilii ad Episcopum Rosnaviensem dat. 20. Aug. 1780.

in iis celebrandis observata, pro validis habeantur, dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum, qua exceptione manifeste ostendit, si quod aliud subsit canonicum impedimentum, quale est, quod ex gradibus prohibitis enascitur, huiusmodi matrimonia non valere. 3. Quaeris insuper: possitne parochus catholicus eiusmodi matrimoniis, illis scilicet, quae ab haereticis inter se contrahuntur, aut assistere aut saltem, ut coram ministro (nempe haeretico) contrahantur, assensum suum praebere? Quoad assistentiam porro iam teneas, omnino non licere. De consensu autem nonnulla supersunt exquirenda, de quibus plenior a te relatio desideratur . . . 4. Sed tu pergis adhuc, quid si coniugum eiusmodi uterque haeresim eiuret et fidem orthodoxam amplectatur, debetne dispensationem ab episcopo suo accipere et ad redintegrandum matrimonium stringi? aut si plane nolit, imo separari cupiat, ad alia vota liber pronunciari? Ad haec cum iuxta responsionem ad II. dubium, de quo agitur, iam plane sequitur, ut, si in illo per conversionem permanere voluerint, ab eisdem dispensatio petenda sit et ab episcopo concedenda, si necessaria gaudeat facultate, novoque consensu in facie ecclesiae pristinum coniugium esse redintegrandum; quodsi ab eo resilire obfirmate velint atque ad alias nuptias convolare, in irritum cessis adhortationibus tuis, quas adhibere non praetermittes ad illam redintegrationem suadendam, tum impediri non poterunt, quominus iure suo et libertate utantur. 5. Quaeris tandem: quid si unus tantum huiusmodi coniugum convertatur, altero in haeresi permanente, cum his dispensatio dari nequeat, quid, inquam, debetne a vinculo immunis decerni et proinde ad alias nuptias liber declarari? Recte intellexisti, dispensationem, altero tantum converso, altero in haeresi permanente, a te dari non posse; proinde ubi casus huiusmodi contigerit, recurras oportet ad hanc s. sedem, quae pro iudicio suo et auctoritate statuet quid facto opus sit, attentisque circumstantiis, Deo inspirante, modum praefiniet, quo tuto te geras, ut gregi tuo opportune in Domino providere valeas.

Idem.

k. *Non potest positivo actu approbari, ut dispensationes concedantur ad celebrandas nuptias inter haereticos, vel ipsos inter et catholicos, ut sanctae religioni maiora damna evitentur. Quibus sub clausulis parochus assistentiam materialem in matrimoniis mixtis exhibere possit. Qui se gerere debeant ecclesiae ministri, si contrahentes catholici postea sacramentorum participes fieri voluerint.*

Ante omnia quidem manifestare tibi debemus, quantum haec pastoralis tui zeli uti et confratrum tuorum episcoporum nova argumenta, necnon constans eorum in adhaerendo regulis doctrinae ecclesiae studium nobis afferant aedificationem, et quantum quoque premant animum nostrum iteratae, quibus ipsos cernimus involutos, angustiae. Attamen non ideo

---

k. Rescriptum Pii VI. ad cardinalem de Frankenberg, archiepiscopum Mechliniensem episcoposque Belgiae d. 13. Jul. 1792 de matrimoniis mixtis.

recedendum nobis est ab uniformi praedecessorum nostrorum sententia et ab ecclesiastica disciplina, quae non probant matrimonia inter partes utrinque haereticas vel inter catholicam unam et haereticam alteram, idque multo minus casu, quo dispensatione in aliquo gradu opus sit.... Ab hoc systemate, quod fundatur in periculo perversionis partis catholicae.... nescimus nos recedere, quoniam non debemus. Quamvis tamen nequaquam velimus tibi et coëpiscopis tuis vel in minimo adaugere angustias, neque criticas istas sequelas, quas credunt merito a se timeri, super illos attrahere; et ideo quantum ad id, quod punctum spectat simplicis permissionis seu veniae dandae, dicemus idem, quod in responsoriis suis de 12. Sept. 1750. episcopo Wratislaviensi dixit praenominatus Benedictus XIV. scilicet: „non posse se positivo actu approbare, ut dispensationes concedantur inter haereticos, vel ipsos inter et catholicos, sed tamen se posse hoc dissimulare“ additque: „scientia haec nostra et tolerantia sufficere debet ad tuam assecurandam conscientiam, quandoquidem in materia, de qua agitur, non occurrat oppositio cum iure divino aut naturali, sed tantummodo cum iure ecclesiastico. Quod autem nunc facimus, attestamur tibi ad pedes crucifixi, id unice nos facere, ut sanctae religioni nostrae maiora damna evitentur“ ac demum concludendo monet, eum teneri omni modo adlaborare, ne malum hoc dilatetur..... Ex verbis epistolae Benedicti XIV. supracitatis intellexeris certe, sermonem esse de dispensationibus, quae locum habent non minus, dum agitur de matrimoniis simplicibus inter partem catholicam et haereticam, quam de gradibus parentelae, in quibus sibi invicem coniuncti forent contrahentes. Et reipsa casus ille, de quo pontifex a. 1750. interloquebatur cum episcopo Wratislaviensi, concernebat dispensationes in gradibus, circa quos mentem suam, prout retulimus, exposuit in terminis meae tolerantiae, ex iis, quae praevie sibi nota erant, consequentis. Sed hoc ipsum est, quod nos facere non possumus, quoniam in hypothesi tunc existente praxis dispensandi in gradibus pro matrimoniis mixtis inveterata erat in isto loco; cui se opponit regula, in aliis casibus magis recentibus per praedecessores nostros et per nos ipsos adoptata; scilicet cum dispensatio gratia sit, reservatur haec fidelibus sub ecclesiae obedientia viventibus; unde ad haereticos non debet extendi, qui non agnoscendo eiusdem auctoritatem per hoc se reddunt similis indulgentiae indignos: vel ad summum poterit dispensatio in gradibus ab episcopis concedi in aliquo particulari casu, qui non sit strictior illis, qui in formula comprehenduntur, et in quo concurrat causa urgens et publica, non autem privatum aliquod commodum vel effrenis animi contrahentium impetus.... Transeundo nunc ad aliud punctum de imperata parochorum assistentia in matrimoniis mixtis, dicimus, quod si praemissa supra nominata admonitione ad avocandam partem catholicam ab illicito matrimonio, ipsa nihilominus in voluntate illud contrahendi persistat, et matrimonium infallibiliter secuturum praevideatur, poterit tunc parochus catholicus materialem suam exhibere praesentiam, sic tamen, ut sequentes observare teneatur cautelas:

Primo, ut non assistat tali matrimonio in loco sacro, nec aliqua veste ritum sacrum praeferente indutus, neque recitabit super contrahentes preces aliquas ecclesiasticas, et nullo modo ipsis benedicet. Secundo, ut exigat et recipiat a contrahente haeretico declarationem in scriptis, qua cum iuramento, praesentibus duobus testibus, qui debebunt et ipsi subscribere, obliget se ad permittendum comparti usum liberum religionis catholicae et ad educandum in eadem omnes liberos nascituros sine ulla sexus distinctione ... Tertio, ut et ipse contrahens catholicus declarationem edat a se et duobus testibus subscriptam, in qua cum iuramento promittat, non tantum, se nunquam apostaturum a religione sua catholica, sed educaturum in ipsa omnem prolem nascituram, et procuraturum se efficaciter conversionem alterius contrahentis acatholici. Quarto, quod attinet proclamationes decreto Caesareo imperatas, quas episcopi reprehendunt actus esse civiles potius quam sacros, respondemus: cum praeordinatae illae sint ad futuram celebrationem matrimonii et ex consequenti positivam eidem cooperationem contineant, quod utique excedit simplicis tolerantiae limites, non posse nos, ut hae fiant, annuere .... Superest nunc de uno adhuc puncto loquendum, super quo licet non simus expresse interrogati, silentio tamen illud praetereundum non credimus, utpote quod in praxi nimis frequenter possit accidere, hoc scilicet: an contrahens catholicus, postea volens sacramentorum particeps fieri, ad ea debeat admitti? Ad quod dicimus, dum idem ille demonstrabit, poenitere se peccaminosae suae coniunctionis, poterit hoc ipsi concedi, modo ante confessionem sincere declaret, procuraturum se conversionem coniugis haereticae, renovare se promissionem de educanda prole in religione orthodoxa et reparaturum se scandalum aliis fidelibus datum. Si tales conditiones concurrant, non repugnamus nos, quominus pars catholica sacramentorum fiat particeps.

Idem.

Quid in proclamationibus mixtarum nuptiarum observandum.

Quoad primum articulum bannorum sive proclamationum tolerari poterit, ut eae fiant non solum extra ecclesiam, uti permittitur in praefatis literis regiis, sed etiam omnimode extra locum sacrum. Idque erit primum publicum signum improbationis horum matrimoniorum; sed ut ipsa improbatio manifestior evadat indicetque ex parte parochi, suam cooperationem fore concursum pure materialem et coactum, praestat addere concretae formulae bannorum aliquam expressionem indicantem, huius generis matrimonia esse exsecranda.

Idem.

Qui se gerere debeant parochi erga partem catholicam matrimonium cum acatholico contracturam. Qui se gerant, quum ex legis praescripto huiusmodi matrimoniis assistere vel ea publice denunciare teneantur.

---

l. Ex rescripto Pii VI. ad archiepiscopum Mechliniensem d. 31. Maii 1783.

m. Extensio declarationis Benedicti XIV. ad ducatum Clivensem 19. Iun. 1793 per

Catholicum prae omnibus vel catholicam parochi moneant, quod contrahendo matrimonium cum acatholica vel acatholico valide quidem contrahant, sed illicite. Atque hinc consequitur, nullo actu positivo ipsos posse isthaec matrimonia probare aut suo expresso consensu et auctoritate confirmare. Quapropter si cogantur in hac temporum conditione et propter leges in transactione religionis a. 1673 praescriptas matrimoniis catholicorum cum muliere acatholica assistere, satagant, ut se mere passive habeant atque tanquam inviti audiant duntaxat utriusque consensum; verum tamen abstineant omnino a precibus recitandis, a benedictione impertienda atque ab omni alio ecclesiae ritu adhibendo. Caveant insuper, ne in publicandis matrimoniis mixtis religionem exprimant contrahentis acatholici, sed contrahentium tantum enuncient nomina et cognomina. Abstineant rursus a concedendis dimissoriis, ubi secundum canones ecclesiae catholicae canonicum aliquod impedimentum sit inter contrahentes. In dimissoriis omittant verba *mea pace*, quae consensum prae se ferre videntur in illicitum matrimonium.

Pius Papa VIII.

n. Quae in contrahendis matrimoniis mixtis omnino observanda, quae tolerari possint, exponuntur. Matrimonia mixta in dioecesibus provinciae Coloniensis exinde etiam non servata forma Tridentina valide contrahi statuitur.

Literis altero abhinc anno ad Leonem XII. gl. mem. praedecessorem nostrum datis diligenter, venerabiles fratres, exposuistis arduum, in quo versamini, discrimen propterea quod civili lege istic ante paucos annos lata praescriptum est, ut in matrimoniis mixtis liberi utriusque sexus in religione patris, aut certe ad eius arbitrium educentur, simulque sacerdotibus interdictum, ne a personis matrimonia huiusmodi contracturis ullam exigant super religiosa nasciturae prolis institutione sponsionem . . . . Sanctae huic sedi prorsus non licet illa omnia permittere, quae in istis regionibus ad eius legis executionem postulari significastis . . . . Haud Nobis opus est, ut fraternitates vestras sacra omni doctrina peritissimas edoceamus, quaenam adversus mixtas, de quibus agitur, nuptias ecclesiae ratio sit. (Enumeratis notis cautionibus ita pergit). Iuxta haec igitur, quoties praesertim catholica aliqua mulier viro acatholico nubere velit, diligenter

---

decretum s. congregationis concilii cum instructione. Quae in textu leguntur, ex instructione descripta sunt. Sacrae congregationi Concilii proposita erant sequentia dubia: 1. An matrimonia contracta inter catholicos et acatholicos coram ministellis acatholicis ducatus Clivensis sint valida et licita. 2. An et quomodo parochi catholici eiusdem ducatus licite concedere valeant dimissorias ad ea contrahenda. 3. An declaratio Benedicti XIV. quoad Hollandiam et Belgium sit extendenda ad praedictum ducatum. Resp ad 1. Stat sacra congregatio pro valore, sed tamen ait illicita esse; fieri tamen posse licita ex dispensatione summi pontificis. Ad 2. Id licite non fieri; licitum tamen fieri ex dispensatione cum iusta causa; hanc causam hic adesse. Ad 3. Respondet affirmative

n. Pii VIII. breve die 25. Martii 1830 ad archiepiscopum Coloniensem et episcopos Trevirensem, Monasteriensem et Paderbornensem quoad matrimonia mixta emissum.

ab episcopo seu a parocho edocenda erit, quaenam circa huiusmodi nuptias canonum sententia sit, serioque admonenda de gravi scelere, quo apud Deum rea fiet, si eos violare praesumat; et maxime opportunum erit eandem adhortari, ut meminerit firmissimum illud religionis nostrae dogma, quod extra veram catholicam fidem nemo salvus esse potest: proindeque agnoscat se in filios, quos a Deo exspectat, iam nunc crudelissime acturam, si tales contraxerit nuptias, in quibus sciat illorum educationem in viri acatholici arbitrio futuram. Quae quidem salubria monita erunt etiam prout prudentia suggesserit iteranda eo praesertim tempore, quo nuptiarum dies instare videatur, dumque consuetis proclamationibus disquiritur, utrum alia sint, quae illis obstent, impedimenta canonica. Quodsi nonnullis in casibus paterna huiusmodi sacrorum pastorum studia in irritum cadere contingat, tum sane abstinendum erit a catholica eadem persona censuris in illam nominatim expressis corripienda, ne tumultus aliquis excitetur, et graviora rei catholicae mala obveniant; sed alia ex parte abstinere etiam catholicus pastor debebit non solum a nuptiis, quae deinde fiant, sacro quocumque ritu honestandis, sed etiam a quovis actu, quo approbare illas videatur. Quam circa rem illud solummodo in nonnullis locis toleratum est, ut parochi, qui ad graviora rei catholicae incommoda avertenda praesentiam suam contrahendis his nuptiis praestare cogebantur, paterentur quidem eas ipsis praesentibus confici (si scilicet nullum aliud obstaret canonicum impedimentum) ut audito utriusque partis consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referrent, sed caverent semper ab illicitis huiusmodi matrimoniis ullo suo actu approbandis, multoque magis a sacris precibus et ab ecclesiastico quovis ritu eisdem admiscendo. Sequitur iam, ut de illorum causa respondeamus, qui matrimonia mixta inire ausi fuerint, catholico pastore non praesente. Et hac quidem super re ita Nobis censuimus statuendum, ut avertantur, quoad fieri poterit, scandala, quae ex huiusmodi nuptiis oriri denunciastis, itemque ut catholici illi, qui in coniunctione vivant eo modo inita, facilius induci possint ad peccatum suum salutaribus poenitentiae lacrimis expiandum, denique ut in posterum certa omnibus regula sit, qua de vi matrimoniorum ea ratione contrahendorum diiudicent. Iam vero ad coniunctiones quod attinet, quae isthic usque ad praesens tempus sine parochi praesentia initae sunt, Nos brevi delegabimus fraternitatibus vestris necessarias facultates, quarum vi malis exinde ortis magna saltem ex parte mederi valeatis. Nunc autem per nostras has literas volumus et mandamus, ut matrimonia mixta, quae posthac (a die videlicet 25. Martii 1830) in vestris dioecesibus contrahi contingat non servata forma a Tridentino concilio praescripta, si eisdem nullum aliud obstet canonicum dirimens impedimentum, pro ratis ac veris connubiis habeantur; prout Nos auctoritate nostra apostolica matrimonia ea vera ac rata fore declaramus atque decernimus contrariis non obstantibus quibuscumque. Quocirca catholicae personae, quae in posterum matrimonia hoc modo contraxerint, dum nullum aliud iis

obstaret dirimens canonicum impedimentum, a sacris pastoribus edocendae erunt, ipsas verum et ratum coniugium inivisse. Insuper pastorum officium erit, catholicos quoslibet, praesertim vero catholicas mulieres, quae cum acatholicis validas quidem, sed tamen illicitas nuptias contraxerint, opportuno tempore admonere in caritate Dei et patientia Christi, ut de gravi patrato scelere poenitentiam agant suisque satisfaciant obligationibus, ei praesertim, qua erga suos filios ipsae semper tenebuntur, ad catholicam videlicet illorum omnium educationem pro viribus seduloque curandam.

Idem.

o. *Declarantur facultates episcopis provinciae Coloniensis concessae confirmandi vel in radice sanandi matrimonia mixta, quae propter defectum formae Tridentinae irrita fuerint. Modus in concedenda dispensatione super impedimento mixtae religionis concurrentibus aliis canonicis impedimentis observandus praescribitur.*

. . . Itaque archiepiscopo Coloniensi et episcopis Trevirensi, Paderbornensi et Monasteriensi per hanc instructionem significatur, Sanctitatem Suam augere illos auctoritate necessaria et opportuna, cuius vi unusquisque illorum tamquam delegatus apostolicae sedis possit in sua dioecesi confirmare atque etiam in radice sanare nuptias usque ad diem receptionis praesentis instructionis initas inter unam partem catholicam et alteram acatholicam, quae irritae idcirco sint, quod in eis contrahendis servata non fuerit forma a Tridentino concilio praescripta. Et quoniam nonnullae ex mixtis nuptiis hucusque contractis irritae item sunt propter alia, quae iisdem obstabant, canonica impedimenta, ideo SSmus D. N. plenam ipsis quatuor episcopis addit potestatem, qua eorum quisque tamquam sedis apostolicae delegatus ab impedimentis illis in sua dioecesi valeat dispensare, dummodo scilicet de iis agatur impedimentis, a quibus apostolica sedes ob graves causas dispensare iam solet, et dummodo dispensatio ipsa pertineat ad sananda coniugia mixta ibidem usque ad praesens tempus contracta. Quam quidem auctoritatis vim eo libentius Sanctitas Sua eisdem episcopis delegat, quod praeclaram de illorum virtute opinionem fovet, planeque confidit, ipsos potestate tam ampla prudentissime usuros. Et praeterea summus pontifex declarat episcopos eosdem illa omni potestate uti posse etiam per alios idoneos ecclesiasticos viros a se speciatim subdelegandos. Nonnulla tamen sunt ad eius auctoritatis usum spectantia, de quibus Sanctitas Sua episcopos eorumque subdelegatos admoneri mandavit. Primo scilicet, ut in singulis casibus perspiciant, an matrimonium, quod irritum erat, instaurari valeat nova per utramque partem consensus significatione; ea scilicet significatione, quae debito modo fiat et cui cautiones praecedant, quae pro coniugiis mixtis a sede apostolica exigi consueverunt. Et hanc quidem consensus renovationem tunc ipsi procurent, quando omnibus specialis cuius-

---

o. Instructio cardinalis Albani dat. 27. Martii 1830 ad archiepiscopum Coloniensem et episcopos Trevirensem, Monasteriensem et Paderbornensem quoad matrimonia mixta.

que casus adiunctis diligenter perpensis, nullum gravioris mali periculum fore censuerint in ea re postulanda et perficienda: contra vero si gravia ea mala iuste metuenda esse cognoscant, licebit eisdem matrimonium sanare in radice. Secundo, ut quoties in casibus huiusmodi matrimonium sanant in radice, admonere omnino teneantur catholicam partem de gravitate sceleris ab ipsa patrati, eique salutarem pro eodem peccato poenitentiam imponere, atque inprimis adhortari illam in Domino, ut suis obligationibus sedulo satisfaciat, ei praesertim, quae catholicam filiorum utriusque sexus educationem respicit. Tertio, ut episcopi et eorum subdelegati abstineant ab iis nuptiis imprudenter confirmandis, quae coram civili lege brevi dissolvendae praevideantur per sententiam laici magistratus divortium inter partes pronunciantem. Et haec quidem SSmus D. N. indulgenda decrevit ad catholicos, qui in praedictis quatuor dioecesibus illicita simul et irrita coniugia ad praesens usque tempus cum acatholicis contraxerunt, in viam salutis facilius revocandos. Idem vero indulgentiae modus nequaquam adhiberi debet erga illos, qui futuro tempore nuptias mixtas et irritas inire ausi fuerint, quandoquidem ex ipsis facilis remedii spe animum plures sumerent ad peccandum. Ceterum Sanctitas Sua in literis ad eosdem episcopos datis, quae supra memoratae sunt, iam declaravit matrimonia mixta in praedictis quatuor dioecesibus in posterum (videlicet a die 25. Martii 1830) ineunda vera et rata matrimonia fore, quamvis praeter formam contrahantur a Tridentino concilio praescriptam, dummodo tamen nullum aliud eis obstaret canonicum dirimens impedimentum. Novit equidem summus pontifex molestias illas gravissimas, in quibus quatuor illi episcopi in praesentia versantur, ex eo etiam oriri, quod catholici quidam insano amore turpiter dementati nuptias contrahere optant cum acatholicis sibi coniunctis, et sacerdotes vexant eisdem ea in re connivere abnuentes. Adhuc tamen Sanctitas Sua antistites ipsos in Domino adhortatur, ut illorum improbitati suam in pastoralibus officiis constantiam opponant, quin imo et eosdem ad saniora satagant consilia revocare. Quodsi aliquo in casu, paternis hisce sacrorum pastorum studiis in irritum cadentibus, catholica persona a proposito coniugii cum acatholico sibi propinquo ineundi removeri non possit, et impedimentum, cuius relaxatio postulatur pro nuptiis valide contrahendis, pertineat solummodo ad remotiores gradus, videlicet ad tertium aut quartum gradum, sive consanguinitatis sive affinitatis, vel ad cognationem spiritualem (illa tamen excepta, quae inter levantem et levatum intercedit) vel tandem ad publicam honestatem ex sponsalibus ortam: tunc episcopum ipsum considerare oportebit, utrum iuxta atque urgens sit concedendae dispensationis causa, et talis illa scilicet, ut non privatorum hominum duntaxat, sed publicam ipsam religionis catholicae rationem spectet, atque una oportebit illum implorare fervidis precibus lumen Spiritus s., ut deinde in re tanti momenti id consilii capiat, quod magis in Domino expedire censuerit. Iam vero si quis ex quatuor episcopis saepe memoratis eadem illa causae gravitate permotus, ab aliquo praedictorum graduum (non tamen

ab aliis gradibus, neque ab alio quovis impedimento) ad contrahendas nuptias mixtas dispensaverit, hoc sane summus pontifex nullo unquam suo actu probaturus est, tolerabit tamen invito quidem, sed patienti animo, dummodo dispensatio huiusmodi ab episcopo data fuerit intra tempus mox explicandum, aliisque servatis, quae pariter modo declarabuntur. Nimirum primo cum facultates aliae, quas sedes apostolica iisdem episcopis delegare iam consuevit pro matrimoniis inter catholicos ineundis, ad quinquennii tempus definitae sint, declarat Sanctitas Sua praedictam quoque tolerantiam ad quinquennium solummodo ab hac die 27. Martii 1830 inchoandum duraturam, et ita quidem, ut quum deinde facultates illae, quae pro matrimoniis inter catholicos delegari solitae sunt, ad aliud rursus quinquennium concedantur, non tamen idcirco tolerantia haec prorogata censeri valeat, nisi ipsa quoque novo actu verbisque expressis fuerit repetita. Insuper secundo decrevit etiam SSmus D. N. ut quoties pro matrimonio mixto dispensatio petatur a gradibus eadem tolerantia comprehensis, episcopus concedere illam nequeat, nisi postquam catholicam partem edocuerit, quaenam circa mixtas huiusmodi nuptias canonum sententia sit, et illam paterne et sedulo adhortatus fuerit ad eosdem religiose custodiendos, monueritque inprimis de gravissimo scelere, quo apud Deum rea fiet, si nuptias hujusmodi contrahere audeat, non praemissa eisdem idonea cautione de liberis utriusque sexus in religionis catholicae sanctitate omnino educandis. Tertio, atque si alio in casu (quod Deus avertat) contigerit, ut episcopus, qui instructione monitisque huiusmodi nihil profecerit ad catholicam ipsam partem ab improbo suo consilio retrahendam, necessitati cedendum iudicet, et dispensationem a se tribuendam, quamvis idonea illa de liberis catholice educandis cautio non interveniat: statuit Sanctitas Sua, ut tum quoque episcopus ipse dispensare non possit, nisi per diploma scriptum seu per literas catholicae eidem parti tradendas, ubi perspicuis verbis denuncietur: impedimentum, quod nuptiis obstaret, idcirco tantum eo in casu relaxari, ne graviora scandala eveniant, ac proinde matrimonium quidem fore verum et ratum, sed tamen peccaturam gravissime catholicam partem, quae illud contrahat contra regulas catholicae religionis. Porro quum deinde eaedem nuptiae illicitae hac ratione contrahentur, non modo abstinendum erit ab ecclesiastico quovis ritu nuptiis iis admiscendo, sed etiam a quocunque alio actu, quo sacerdos approbare illas videatur, quemadmodum in supradictis Sanctitatis Suae literis praescriptum est. Post haec Sanctitas Sua ad Crucifixi pedes provoluta protestatur, se ad tolerantiam praedictam ea duntaxat de causa adduci, seu verius pertrahi, ne graviora rei catholicae incommoda obveniant. Ceterum tolerantia eadem episcopum satis in conscientia tutum faciet, si tamen ipse id gesserit, quod implorato sancti Spiritus lumine censuerit in Domino expedire et cetera omnia, quae dicta sunt, religiose servaverit. Postremo Sanctitas Sua episcopos monet enixeque in Domino obtestatur, ut videant etiam atque etiam, ne ex huiusmodi ipsorum ratione erga mixta connubia illicite contracturos contingat, ut in

catholico populo extenuetur memoria canonum matrimonia illa detestantium et constantissimi studii, quo sancta mater ecclesia filios suos avertere satagit ab eisdem in suarum animarum perniciem ineundis. Hinc episcoporum, aliorumque, qui sub illis sunt, sacrorum pastorum officium erit, flagrantiori in posterum zelo in id incumbere, ut in catholicis eorum curae commissis tum privatim tum publice instruendis doctrinam et leges ecclesiae ad connubia eadem pertinentes prudenter simul et sedule commemorent, earumque custodiam incutiant.

Idem.

p. *Tolerari potest mos in nonnullis regionibus inductus benedicendi matrimoniis mixtis initis cum ecclesiae venia et praescriptis cautionibus, nunquam vero impertienda benedictio matrimoniis sine ista venia et necessariis cautionibus ineundis.*

Non sine gravi animi nostri moerore iam noscebamus, v. frater, quae tuis literis die 4. proximi Martii ad nos datis dolenter significas de deploranda in istis regionibus catholicos inter et acatholicos matrimoniorum frequentia deque civilis potestatis in eiusmodi nuptiis agendi ratione .... Et quidem quod ad benedictionem attinet, eam, veluti optime noscis, haec apostolica sedes prohibere consuevit in illis quoque matrimoniis, quae inter catholicos et acatholicos ineuntur impetrata eiusdem sedis venia atque adhibitis cautionibus in illa praescriptis. Atque etsi deinde tolerari potuerit, ut mos in nonnullis regionibus inductus servaretur benedicendi matrimoniis mixtis initis cum ecclesiae venia et praedictis cautionibus, nunquam tamen toleranda est eadem benedictio in iis casibus, in quibus nulla accedente ecclesiae venia, nec praeviis necessariis cautionibus, manifestum idemque gravissimum admittitur crimen in ipso matrimonii foedere ineundo. Nunquam enim tolerari debet, ut sacrilegis hisce contractibus sacri ritus admisceantur, et sacerdotes Dei videantur suo facto probare, quod ore illicitum esse edocent et praedicant. Atque id probe sentiunt adversarii nostri, qui certe in huiusmodi nuptiis de catholici sacerdotis benedictione minime laborarent, nisi intelligerent illam conducere ad extenuandam atque adeo ad obliterandam sensim in catholici populi animis memoriam canonum, qui haec detestantur connubia, et constantissimi studii, quo s. mater ecclesia filios suos avertere consuevit ab iisdem coniugiis in eorum futuraeque prolis perniciem contrahendis. Nostri scilicet contradictores cognoscunt, si res ex eorum votis succederet, facile inde futurum, ut catholicae potissimum foeminae aut licita, aut non tam graviter illicita existimarent ea coniugia, quae sacris ecclesiae ritibus et sacerdotali benedictione honestari viderent. Atque haec consona sunt praeceptionibus et monitis, quae sive in nostris sive in decessoris nostri Pii VIII. ad diversos archiepiscopos et episcopos literis sive instructionibus aut eius aut nostro iussu editis con-

---

p. Gregorii XVI. literae die 23. Maii 1846 ad archiepiscopum Friburgensem quoad matrimonia mixta datae.

signatae fuisse cognoscis, ven. frater. Nec vero refert, si ad nonnullos tantum antistites, qui hanc apostolicam sedem consuluerant, illae instructiones datae sunt, quasi aliis liberum sit illarum non sequi sententiam. Enimvero non agitur hic de aliqua nova lege a nostro praedecessore aut a nobis inducta, quum uterque nostrum eo potius spectaverit, ut pro locorum adiunctis emolliremus, quoad fieri posset, disciplinae severitatem et ea simul inculcaremus, quae pravis usibus tollendis, sanae doctrinae deposito custodiendo ac matrimonii sanctitati, catholicae religionis incolumitati et animarum saluti tuendae necessaria iudicavimus. Itaque etiamsi literae et instructiones illae, in qua parte aliquid novi indulgent vel tolerant, ad ea tantum referuntur loca, pro quibus datae sunt, nullis tamen limitibus illarum circumscribitur ratio, quatenus incommutabilem annunciant ecclesiae doctrinam, canonumque inculcant sententiam, et pravos, qui alicubi invalescant, usus proscribunt. Atque huc pertinent, quae hac de re a nobis indicata fuerint in pluribus allocutionibus ad ven. fratres nostros S. R. E. cardinales in consistorio IV. Id. Dec. 1837, Idib. Sept. 1838, et postridie Non. Julii 1839 habitis, quas statim typis in vulgus edi iussimus.

Pius Papa IX.

q. Nuptiae inter catholicos et acatholicos ineundae vel initae improbantur. Super mixtae religionis impedimento gravibus dumtaxat causis dispensare solet apostolica sedes, ad quam haec potestas unice spectat. Certae cautiones a nupturientibus praestandae sunt.

Omnes norunt, quid ipsa catholica ecclesia de catholicos inter et acatholicos nuptiis constanter senserit, cum illas semper improbaverit ac tamquam illicitas planeque perniciosas habuerit, tum ob flagitiosam in divinis communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, tum ob pravam subolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi canones ipsa mixta connubia severe interdicentes, ac recentiores summorum pontificum sanctiones, de quibus immortalis memoriae Benedictus XIV. loquitur in suis encyclicis litteris ad Poloniae regni episcopos atque in celeberrimo opere, quod de synodo dioecesana inscribitur. Hinc porro evenit, ut haec apostolica sedes, ad quam unice spectat potestas dispensandi super huiusmodi mixtae religionis impedimento, si de canonum severitate aliquid remittens mixta haec coniugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis aegre admodum fecit et nonnisi sub expressa semper conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus, ut scilicet non solum catholicus coniux ab acatholico perverti non posset, quin immo catholicus ipse coniux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda in sanctitate

q. Pii IX. instructio ad omnes episcopos data die 15. Novembr. 1858; Archiv. XIV, 331.

catholicae religionis educari omnino deberet. Quae quidem cautiones remitti seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur, quam ecclesia et haec sancta sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere se ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt. Insuper in tribuendis huiusmodi dispensationibus praeter enunciatas cautiones, quae praemitti semper debent, et super quibus dispensare nullo modo unquam potest, adiectae quoque fuere conditiones, ut haec mixta coniugia extra ecclesiam et absque parochi benedictione ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debeant. Quae quidem conditiones eo potissimum spectant, ut in catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum canonum, qui istiusmodi mixta matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo sancta mater ecclesia nunquam destitit, filios suos avertere ac deterrere ab iisdem mixtis coniugiis in eorum et futurae prolis perniciem contrahendis . . . Sanctitas Sua omnes archiepiscopos, episcopos aliosque locorum ordinarios vehementer in Domino hortatur et excitat, eisque mandat, ut cum ipsa in posterum huius rescripti formula ab hac sancta sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtae religionis, in eadem facultate exsequenda nunquam desistant omni cura studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce matrimoniis extra ecclesiam et absque parochi benedictione alioque ecclesiastico ritu celebrando.

Benedictus Papa XIV.

r. *Nupturientes, qui e locis, in quibus domicilium habent et ubi concilii Tridentini decretum de reformatione matrimonii promulgatum est, in alia territoria se contulerint, ubi dictum decretum nunquam rite publicatum fuit, matrimonium ibi valide contrahunt, si domicilium eo in loco constituerint; secus si domicilium vere translatum non fuisset. Quid ad constituendum verum domicilium vel quasi domicilium requiratur, longius exponitur.*

Pius Papa IX.

s. *Matrimonia mixta coram ministro haeretico non contrahantur, nisi lege civili postulante ad actum mere civilem implendum.*

Non latet, quibusdam in locis haereticum ministrum agere personam magistratus mere civilis, coram quo se sistere solent coniuges aut etiam debent, ob finem pollicitum, nempe ut habeantur civiliter honesti coniuges, prolesque censeantur legitimae. Iamvero urgentibus haereticis aut lege civili imperante, non improbatur, quod pars catholica una cum haeretica se sistat ante vel post contractum ad formam Tridentini matrimonium, etiam coram ministro haeresi addicto ad actum civilem dumtaxat implen-

---

r. Const., *Paucis abhinc*, dat. 19. Martii 1758 (Bullar. Bened. XIV. in appendice).

s. Instructio data sub feria IV. die 17. Febr. 1864 episcopis regni Hanoveriani; Archiv. XV, 332.

dum. Etenim ad dubium olim sic expressum: utrum catholicus coram proprio catholico parocho cum haeretica contrahens licite possit urgentibus haereticis, matrimonium hoc ratificare coram ministro haeretico, si nulla hinc ritus haeretici professio habeatur aut colligatur, et quidquid minister haereticus in casu peragit civilis dumtaxat et politica gratulatio sit et censeatur: per s. congregationem responsum fuit: Affirmative. — Verum enimvero quotiescunque minister haereticus censetur veluti sacris addictus et quasi parochi munere fungens, non licet catholicae parti una cum haeretica matrimonialem consensum coram tali ministello praestare, eo quia adhiberetur ad quamdam religiosam ceremoniam complendam, pars catholica ritui haeretico se consociaret, unde oriretur quaedam implicita haeresi adhaesio, ac proinde illicita omnino haberetur cum haereticis in divinis communicatio. Ea propter etsi perniciosa haec consuetudo inoleverit ita, ut a clero de facili corrigi non possit, nihilo tamen secius omni adhibito studio ac zelo evellenda erit. Et sane Benedictus XIV. aperte docet, non licere contrahentibus se sistere coram ministro haeretico, quatenus assistat ut minister addictus sacris, et contrahentes peccare mortaliter et esse monendos. Opportune itaque abs Te instructi et commoniti parochi ac missionarii edoceant fideles, qua publicis in ecclesiis catechesibus, qua privatis instructionibus circa constantem ecclesiae doctrinam et praxim, ita ut salubriter a mixtis contrahendis nuptiis, quoad fieri possit, avertantur, sin autem abhorreant prorsus a celebrando matrimonio coram haeretico ministro sacris addicto id quod omnimode illicitum et sacrilegum est. Ita responsum fuit ordinario Treviren. sub. fer. IV. die 21. Aprilis 1847. — Sciant insuper parochi si interrogentur a contrahentibus vel si certe noverint eos adituros ministrum haereticum sacris addictum ad consensum matrimonialem praestandum se silere non posse; sed monere eosdem debere sponsos de gravissimo peccato quod patrant et de censuris in quos incurrunt. Verum tamen ad gravia praecavenda mala si in aliquo peculiari casu parochus non fuerit interpellatus a sponsis an liceat necne adire ministrum haereticum, et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de adeundo ministrum haereticum, praevideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum, ac insuper ex adiunctis in casu concurrentibus praevideat monitionem certo non fore profecturam, immo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum, tunc sileat remoto tamen scandalo et dummodo aliae ab ecclesia requisitae conditiones atque cautiones rite positae sint, praesertim de libero religionis exercitio parti catholicae concedendo, necnon de universa prole in religione catholica educanda. Quod si tandem consensus coram parocho velit renovari, postquam praestitus iam fuerit coram ministro haeretico idque publice notum sit vel ab ipsis sponsis parocho notificetur, parochus huic matrimonio non intererit, nisi servatis uti supponitur ceteroquin servandis pars catholica facti poenitens praeviis salutaribus poenitentiis absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit. Sacra igitur congregatio plurimum in Do-

mino confidit, Te praemissis prudenter ac firmiter inhaerentem effecturum, ut inviolabilis doctrinae sartum tectum servetur depositum, catholicorum mores fidei respondeant, damna apprehensa arceantur et fideles doctrina atque exemplo roborati incedant per semitas iustitiae.

Benedictus Papa XIV.

t. *Sponsi catholici, qui in locis, ubi concilii Tridentini decretum cap. 1. de matrimonio promulgatum et receptum est, coram civili magistratu aut haeretico ministro consensum in matrimonium de praesenti declarant, invalide contrahunt, et neque coram Deo neque coram ecclesia veri et legitimi coniuges sunt. Inde quaelibet iis coniugalis consuetudo interdicta est donec nuptias in forma a concilio praescripta rite celebraverint. Quum catholici ex praescripto patriae legum civilem magistratum aut haereticum ministrum adire coguntur, ut coram illis mutuum exprimant in coniugium consensum, curandum est ecclesiae sacerdotibus, ut id non faciant nisi matrimonio iam antea in facie ecclesiae inter se legitime celebrato. Quod si civiles leges prohibuerint id saltem satagant, ut post peractam civilem illam ac mere politicam caeremoniam, non differant coniugale foedus iuxta praescriptam a Tridentino normam rite et sancte inire.*

Pius Papa IX.

u. *Exhibetur instructio, quae animarum pastoribus normae cuiusdam loco inserviat in locis, ubi civile matrimonium, ut aiunt, praescriptum est.*

Quod iamdiu timebatur, quodque episcopi cum singilatim tum una omnes protestationibus zelo ac doctrina plenis, virique plurimi cuiusque ordinis eruditis suis scriptis et ipsemet summus pontifex vocis suae auctoritate avertere conati sunt id, proh dolor! videmus in Italia constitutum. Quem vocant civilem matrimonii contractum eiusmodi malum haud amplius est quod Iesu Christi ecclesia debeat trans Alpes deflere; sed et quod in hisce Italiae regionibus consitum, pestiferis suis fructibus christianam familiam societatemque minitatur inficere. Atque hosce funestos effectus episcopi et locorum ordinarii animadverterunt, quorum quidem alii opportunis instructionibus monitum ac vigilem fecerunt gregem suum, alii vero ad hanc apostolicam sedem mature confugerunt, ut normas inde haurirent, quibus in tam trepida re ac tanti momenti tuto dirigerent sese. Quamvis autem hoc sacrum tribunal haud pauca responsa atque instructiones particularibus petitionibus summi pontificis iussu dederit, attamen ut postulationibus, quae in dies augentur, satisfiat, mandavit Sanctus Pater, ut per hoc tribunal ad omnes locorum ordinarios, ubi infausta haec lex promulgata fuit, instructio mitteretur; quae normae cuiusdam loco cuique eorum

---

t. Const., *Redditae sunt Nobis*, dat. 17. Sept. 1746 (Bullar. Bened. XIV. T. III. in appendice).

u. Instructio s. Poenitentiariae apostolicae circa contractum quem matrimonium civile appellant, dat. 15. Ianuar. 1866. Archiv. XVI, 473. De doctrina, quam ecclesia circa matrimonium civile tenet vide, quae supra ad cap. 1. de sponsalib. IV, 1 annotavi. Adiungas Pii IX. epistolam die 9. Sept. 1852 ad regem Victorem Emmanuelem datam; Pii IX. Acta II, 294.

inserviret, ut et fideles dirigant et ad morum puritatem sanctitatemque matrimonii christiani sartam tectam servandam uno animo procedant. At vero in exequendis S. Patris mandatis haec s. Poenitentiaria superfluum putat in memoriam cuiusque revocare, quod est ssmae religionis nostrae notissimum dogma, nimirum matrimonium unum esse ex septem sacramentis a Christo Domino institutis proindeque ad ecclesiam ipsam, cui idem Christus divinorum suorum mysteriorum dispensationem commisit, illius directionem unice pertinere: tum etiam superfluum putat in cuiusque memoriam revocare formam a s. Tridentina synodo praescriptam sess. 24. c. 1 de reform. matrim., sine cuius observantia in locis, ubi illa promulgata fuit, valide contrahi matrimonium nequaquam posset. — Sed ex hisce aliisque axiomatibus et catholicis doctrinis debent animarum pastores practicas instructiones conficere, quibus etiam fidelibus id persuadeant, quod Sanctiss. Dominus noster in consistorio secreto die XXVII. Septemb. anni MDCCCLII. proclamabat; id est — „Inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum; atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum coniunctionem etiam civilis legis vi factam nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum.“ — Atque hinc facile deducere poterunt, civilem actum coram Deo eiusque ecclesia nedum ut sacramentum verum nec ut contractum haberi ullo modo posse, et quemadmodum civilis potestas ligandi quemquam fidelium in matrimonio incapax est, ita et solvendi incapacem esse; ideoque sicut haec s. Poenitentiaria iam alias in nonnullis responsionibus ad dubia particularia declaravit, sententiam omnem de separatione coniugum legitimo matrimonio coram ecclesia coniunctorum a laica potestate latam nullius valoris esse, et coniugem, qui eiusmodi sententia abutens alii se personae coniungere auderet, fore verum adulterum; quemadmodum esset verus concubinarius, qui vi tantum civilis actus in matrimonio persistere praesumeret, atque utrumque absolutione indignum esse donec haud resipiscat ac praescriptionibus ecclesiae se subiiciens ad poenitentiam convertatur. — Quamvis autem verum fidelium matrimonium tum solum contrahatur, quum vir et mulier impedimentorum expertes mutuum consensum patefaciunt coram parocho et testibus iuxta citatam s. concil. Trident. formam atque ita contractum matrimonium omnem suum valorem obtineat, nec opus sit ut a civili potestate ratum habeatur aut confirmetur: attamen ad vexationes poenasque vitandas et ob prolis bonum, quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum, opportunum et expediens videtur, ut iidem fideles, postquam matrimonium legitime contraxerint coram ecclesia, se sistant actum lege decretum executuri, ea tamen intentione (uti Bened. XIV. docet in Brevi diei XVII. Sept. anni MDCCXLVI. „Redditae sunt nobis“), sistendo se gubernii officiali nil aliud faciant, quam ut civilem caeremoniam exequantur. — Iisdem de causis, nequaquam vero ut infaustae legis executioni cooperentur, parochi ad matrimonii celebrationem coram

ecclesia eos fideles, qui quoniam lege arcentur ad civilem actum dein non admitterentur ac proinde non haberentur ut legitimi coniuges, non ita facile ac promiscue admittant. Hac in re multa uti debebunt cautela ac prudentia et ordinarii consilium exposcere; atque hic facilis ne sit ad annuendum, sed in gravioribus casibus hoc sacrum tribunal consulat. — Quod si opportunum est ac expedit, ut fideles sistentes se ad actum civilem peragendum se probent legitimos coniuges coram lege; hunc tamen actum, antequam matrimonium coram ecclesia celebraverint, peragere nequaquam debent. Et si qua coactio, aut absoluta necessitas, quae facile admittenda non est, eiusmodi ordinis invertendi causa esset; tunc omni diligentia utendum erit, ut matrimonium coram ecclesia quamprimum contrahatur atque interim contrahentes iuncti consistant. Hac super re unumquemque hortatur haec s. Poenitentiaria, ut doctrinam sequatur ac teneat a Benedicto XIV. expositam in Brevi ad Galliae episcopos „Laudabilem maiorum suorum“ dato die XX. Sept. anni MDCCLXXXXI., tum Pius VII. in suis literis datis die XI. Iunii anni MDCCCVIII. ad episcopos Piceni, eosdem episcopos instructionis gratia remittebant, qui normas expostularant, quibus in simili civilis actus contingentia fideles dirigerent. Post haec omnia facile est videre, praxim hactenus observatam circa matrimonium et speciatim circa paroeciales libros, sponsalia et matrimonialia impedimenta cuiusvis naturae ab ecclesia sive constituta sive admissa nullo modo variari. — Et hae sunt generales normae quas huic s. Poenitentiariae, Sancti Patris mandatis obsequenti, tradere visum fuit et iuxta quas eadem videns plures episcopos et ordinarios suas iam instructiones ad amussim confecisse maximopere laetatur, speratque fore ut et caeteri omnes idem faciant, qui ita se pastores vigiles ostendentes meritum ac praemium a Iesu Christo pastorum omnium pastore consequentur.

TITULUS III.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Inter quos cognatio spiritualis contrahatur.

Pius Papa V.

Cap. II. Cum in decretis s. concilii Tridentini certae tantum personae enumerantur, inter quas dumtaxat cognatio spiritualis deinceps contrahatur, declaramus eos, qui ante confirmationem eiusdem concilii cognationem spiritualem

---

Tit. III. Cap. I. Sess. XXIV. de ref. matrim. c. 2.

Cap. II. Const., *Sanctissimus in Christo*, dat. 20. Aug. 1566, §. 2; in E. L. n. 14, II, 206. Quamvis genuinus bullae textus integer non exhibeatur, sensus omnino non immutatur.

contraxerunt, dummodo ex personis in ipso concilio numeratis non sint, matrimonii vinculo inter se, absque dispensatione aliqua libere et licite copulari posse, matrimoniaque etiam post confirmationem contracta sine dispensatione valere. (Est integer textus.)

Idem.

Cap. III. Declaratur quoad cognationem spiritualem a praecisis verbis concilii minime discedendum esse, atque inde nullum amplius cognationis impedimentum subesse, quominus inter maritum vel uxorem suscipientis et baptizatum baptizatique patrem et matrem et quascunque alias personas tam ex parte suscipientis quam baptizantis et baptizati in concilio nominatim non expressas matrimonium libere et licite contrahi posse.

TITULUS IV.

DE EO QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS SUAE VEL SPONSAE.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Affinitas ex fornicatione ad secundum gradum restringitur.

Pius Papa V.

Cap. II. Statuimus matrimonia post confirmationem concilii Tridentini absque dispensatione apostolica secuta et quae de cetero sequentur inter personas, quae ante dictam confirmationem affinitatem (infra tamen secundum gradum ex fornicatione provenientem) contraxerant, propter huiusmodi affinitatem dirimi non debere, sed rata et firma esse. (Est integer textus.)

Idem.

Cap. III. Declaratur, ultra gradum primum et secundum affinitatis ex fornicatione provenientis nullum matrimonii impedimentum remanere, ita ut in ulterioribus gradibus matrimonia non solum valide, sed etiam licite contrahantur.

TITULUS V.

DE CONSANGUINITATE ET AFFINITATE.

Clemens Papa VI.

Cap. I. Dispensatio data pro quarto consanguinitatis et affinitatis gradu valida est pro quarto gradu attingente tertium, etiamsi distantiae tertii gradus mentio facta non sit.

Cap. III. Const., *Quum illius*, dat. 28. Nov. 1566, §. 3; in E. L. n. 13, II, 206.
Tit. IV. Cap. I. Sess. XXIV. de ref. matrim. c. 4.
Cap. II. Const., *Sanctissimus in Christo*, dat. 20. Aug. 1566, §. 3.
Cap. III. Const., *Ad Romanum pontificem*, dat. 28. Nov. 1566, §. 1, 2; in E. L. n. 14, II, 207.
Tit. V. Cap. I. Constitutio haec Clementis VI. in nullo bullario legitur.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. II. Ne quis intra gradus prohibitos contrahat; quave ratione in illis dispensandum.

Pius Papa V.

Cap. III. Pii IV. constitutio, qua super dispensationibus matrimonialibus de diversis consanguinitatis seu affinitatis gradibus sancitum fuit, ut sub nullitatis poena literarum dispensationis non remotioris solum, sed etiam propinquioris gradus mentio fieri debeat, abrogatur, et in favorem matrimonii statuitur et declaratur, quod pro valore matrimonii satis sit, ut in literis dispensationis exprimatur remotior tantum gradus, qui propinquiorem secum trahit, dummodo primus non attingatur; obtentis tamen postea super propinquiori literis declaratoriis. *

Pius Papa IX.

a. *Quando coniux in saeculo manens post decretum diei 19. Martii 1857 ad novas nuptias transire possit, si alter coniux ante consummationem matrimonii monasticam vitam amplexus fuerit?*

Cum iure communi receptum sit, ut coniugibus ante consummationem matrimonii tempus petendi ad deliberandum, an vellent monasticam vitam amplecti, bimestre concedatur, alterque coniux in saeculo manens exspectare teneatur donec monasticam vitam amplexus professionem emittat, quin antea alias nuptias inire valeat, a s. congreg. postulo declarari, num coniux manens in saeculo nedum bimestre et annum probationis ante simplicium votorum professionem exspectare teneatur, sed et subsequens triennium, quo demum expleto iuxta recentem disciplinam locus est professioni solemni. — Ex Aud. SSmi die 25. Ianuarii 1861. SSmus in audientia habita die 25. Ianuarii 1861 ab infrascripto secretario s. congreg. super statu regularium, ad quam dictum postulatum remittendum iusserat, eidem dubio respondendum mandavit, nempe nonnisi per solemnem votorum professionem matrimonium ratum et non consummatum dissolvi, non vero per professionem votorum simplicium: ideoque in casu,

---

Cap. II. Sess. XXIV. de ref. matr. c. 5.

Cap. III. Const., *Sanctissimus in Christo*, dat. 20. Aug. 1566, princ., §. 1; in E. L. n. 13, II, 206. Benedictus XIV. const., *Etsi matrimonialis*, dat. 27. Sept. 1755, haec docet: „Iuxta communem doctorum sententiam in tribunalibus receptam illicitum tantum est, sed non invalidum matrimonium, quod contrahitur ope dispensationis obtentae super quarto gradu nulla tertii gradus facta mentione et antequam literae declaratoriae praescriptae a. s. Pio V. fuerint obtentae."

* De duplici ex duplicitate gradus proveniente impedimento in petenda dispensatione exprimendo aliisque observandis in dispensatione super impedimentis matrimonialibus vide supra a. — h. de rescriptis I, 3; de ordine iudiciali in causis matrimonialibus servando vide supra d. e. de iudiciis II, 1; a. de sententia et re iudicata II, 3; c. de appellat. I, 9; de examinandis testibus, qui in causis matrimonialibus, imprimis ad probandum statum liberum introducuntur, supra a. b. de testibus I, 6.

a. Decretum ex audientia SSmi d. 2. Ian. 1861. Archiv. IX, 441.

quo vir iuxta legem diei 19. Martii 1857 per s. congreg. super statu regularium latam vota simplicia emittere debeat ante solemnem professionem, sive ipse, sive eius coniux recurrere poterit ad apostolicam sedem pro obtinenda facultate, ut statim emitti possint vota solemnia.

TITULUS VI.

QUI FILII SINT LEGITIMI.

Pius Papa IV.

Cap. I. Legitimationes de naturalibus et spuriis per summos pontifices praedecessores, comites palatinos aliosve factae in praeiudicium eorum, qui ex fideicommisso, testamento vel alia legitima dispositione vocantur, nullae declarantur, et ne deinceps fiant cavetur.

Benedictus Papa XIV.

a. *Filii ex adulterio procreati per subsequens matrimonium inter parentes initum non legitimantur. Disceptatur inter doctores an pro statuenda prolis legitimatione tempus nativitatis dumtaxat, an etiam tempus conceptus attendi debeat.*

Tit. VI. Cap. I. Const., *Quamvis a sede*, dat. 1. Ian. 1562, §. 2, 3; in E. L. n. 45, II, 64.

a. Const., *Redditae Nobis*, dat. 5. Dec. 1745 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

FINIS LIBRI QUARTI.

LIBER QUINTUS.

TITULUS I.

DE ACCUSATIONIBUS, INQUISITIONIBUS ET DENUNCIATIONIBUS

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Non citetur personaliter episcopus nisi depositionis aut privationis causa.

TITULUS II.

DE SIMONIA.

Paulus Papa IV.

Cap. I. Censurae excommunicationis summo pontifici reservatae subiaceant, qui occasione beneficiorum obtinendorum se alios esse simulaverint et tamquam tales se in examine supposuerint, et qui beneficia pro se vel pro aliis cum oblatione alicuius pensionis annuae vel commodi temporalis impetrant. Provisiones huiusmodi nullae sint, et aliae poenae in contravenientes constituuntur.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. II. Episcopi gratis cum ordines conferant, tum dimissorias et testimoniales literas dent, pro quibus eorum ministri nihil prorsus, notarii autem, quod in decreto praefinitum est, accipiant.

Ex eodem.

Cap. III. Ne quis admittatur ad possessionem beneficii aut distributionem cum fructuum distributione in usus non pios convertenda.

Tit. I. Cap. I. Sess. XIII. de ref. c. 1.

Tit. II. Cap. I. Const., *Inter ceteras*, dat. 23. Nov. 1557, §. 1, 2; in E. L. n. 12, II, 832.

Cap. II. Sess. XXI. de ref. c. 1. Vide etiam Taxam dictam Innocentianam dat. 10. Oct. 1678 (in E. L. n. 40, XI, 235), §. 1 ubi quid pro certis scripturis pro collatione ordinum conficiendis requiri possit praescribitur.

Cap. III. Sess. XXIV. de ref. c. 14. Quid in beneficiorum collatione pro certis scripturis et actis conficiendis requiri possit, vide §. 2 Taxae Innocentianae citatae.

Pius Papa V.

a. *Privilegia, statuta vel consuetudines ecclesiarum cathedralium vel conventualium revocantur et abolentur, quibus in electione, praesentatione, collatione, institutione, confirmatione vel admissione ad possessionem beneficii, canonicatus vel ecclesiae cathedralis certae deductiones ex fructibus, solutiones, compositiones vel promissiones illicitae requiruntur. Omnes eiusmodi conditiones appositae damnantur et sub poenis gravissimis prohibentur.*

Pius Papa IV.

Cap. IV. Beneficia per confidentiam concessa ipso iure vacant; ipsorum provisio ad sedem apostolicam spectat; rei confidentiae vinculo excommunicationis obstricti declarantur.

Benedictus Papa XIV.

b. *Resignationes beneficiorum cum reservatione pensionis et pactis pensionem certa numerata pecunia per anticipatas solutiones cassandi vel extinguendi, tanquam palliatae beneficiorum venditiones et simoniacam labem redolentes sub gravissimis poenis prohibentur.*

Pius Papa V.

Cap. V. Praesumtiones, probationes et casus in causis confidentiae beneficiorum declarantur. Poenae in reos confidentiae sanciuntur.

Idem.

Cap. VI. Enumerantur poenae gravissimae, quibus rei simoniae sacramentalis vel beneficialis subiacent.

TITULUS III.

DE MAGISTRIS, ET NE QUID EXIGATUR PRO LICENTIA DOCENDI.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Philosophis aliisque in universitatibus studiorum generalium legentibus praecipitur, ut cum philosophorum principia aut conclusiones, in quibus a recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint, eisdem veritatem religionis catholicae omni conatu manifestam facere, et istorum principia resolvere studeant.

---

a. Const., *Durum nimis*, dat. 1. Iunii 1570; in E. L. n. 64, II, 330.

Cap. IV. Const., *Romanus pontifex*, dat. 16. Octobr. 1566, §. 2, 4; in E. L. n. 85, II, 128. De poenis per Pium IX. contra reos simoniae confidentialis in beneficiis innovatis vide constitutionem, *Apostolicae sedis*, in cap. finali de poenis V, 17.

b. Const., *In sublimi*, dat. 29. Aug. 1741 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

Cap. V. Const., *Intolerabilis*, dat. 11. Ian. 1569, §. 3—8; in E. L. 85, II, 303.

Cap. VI. Const., *Quum primum*, dat. 11. April 1566, §. 8, 9; in E. L. n. 5, II, 192.

Tit. III. Cap. I. Const., *Apostolici regiminis*, dat. 19. Decembr. 1519, §. 3, 5; in E. L. I, 542.

Idem in eodem.

Cap. II. Magistri scholarum et praeceptores pueros sive adolescentes nedum in grammatica et rhetorica ceterisque huiusmodi disciplinis erudire debent, sed etiam ea docere, quae ad religionem pertinent, ut sunt praecepta divina, articuli fidei, sacri hymni et psalmi ac sanctorum vitae. In bonis moribus eos instruant, et ut divina officia frequentent, eos impellant.

Idem in eodem.

Cap. III. De qualitate eorum, qui munus praedicandi verbum Dei suscipiunt. De observandis et evitandis in praedicatione.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. IV. De instituenda lectione sacrae scripturae et liberalium artium.

Ex eodem.

Cap. V. Forma erigendi seminarium clericorum, praesertim tenuiorum; in cuius erectione plurima observanda; de educatione promovendorum in cathedralibus et maioribus ecclesiis.

Pius Papa IX.

a. Ecclesia pleno et libero iure pollet educandi et instituendi clerum.

Summa quidem aegritudine affecti fuimus, ubi primum novimus, istud regium bavaricum ministerium non solum vim adhibuisse ad claudendas theologicas scholas a ven. fratre Nicolao episcopo Spirensi in proprio clericorum seminario iure institutas, verum etiam eodem tempore denegasse Bavariae sacrorum antistitibus ius erigendi ac sub eorum iurisdictione habendi proprias scholas et etiam illas, in quibus theologicae disciplinae traduntur . . . . Et sane negari non potest, quin magisterium laedatur et auctoritas a Christo Domino ecclesiae eiusque episcopis tributa, eamdem ecclesiam et sacrorum antistites pleno et omnino libero iure pollere educandi instituendique clerum ad canonicarum sanctionum normam, per quem et salutaris evangelii doctrina est servanda et propaganda et sacrum ministerium ad animarum salutem exercendum. Atque huiusmodi ius episcoporum obligationibus respondens ad ipsos natura pertinet, eorumque officiis inhaeret, ut nullo modo derivari possit a qualibet civilis auctoritatis concessione vel a quacumque conventione cum ecclesia inita ab eadem civili auctoritate. Etsi enim huiusmodi conventiones possint interdum esse

---

Cap. II. Const., *Supernae dispositionis*, dat. 21. Maii 1514, §. 32; in E. L. I, 543.

Cap. III. Const., *Super quae*, dat. 19. Dec. 1516, §. 3 in fine et §. 7; in E. L. n. 21, I, 579.

Cap. IV. Sess. V. decretum de ref. c. 1.

Cap. V. Sess. XXIII. de ref. c. 18.

a. Pii IX. literae apostolicae dat. 23. Martii 1865 ad archiepiscopum Monacensem et Frisingensem et ad episcopos suffraganeos in Bavaria. Archiv. XIV, 308. Conf. Allocutio habita in consistorio secreto d. 1. Nov. 1850. Pii IX. Acta I, 251.

necessariae et opportunae ad eiusdem iuris exercitium pro rerum temporumque adiunctis tuendum ac facilius reddendum, tamen nequeunt unquam ius idem ita tollere aut circumscribere, ut episcopi illius exercitio priventur in iis, quae ad eius naturam pertinent, quaeque episcopis ab universalibus ecclesiae legibus et communi canonico iure iniunguntur.

Pius Papa V.

Cap. VI. Ordinarii erudiendis pueris in doctrina christiana operam navent, pueros certis diebus in ecclesia convenire faciant, ubi per viros probos et eruditos sana doctrina et bonis moribus imbuantur. Quod ut efficacius procedat, confraternitates instituendae commendantur.

Benedictus Papa IV.

b. Munus tradendae doctrinae christianae quibus potissimum incumbat. Methodus et ratio in hac re observanda exponitur.

Pius Papa IX.

c. De vi moderatrice, quae ecclesiae erga populares scholas competit.

Cum igitur populares scholae ad populum religiose formandum, eiusque pietatem et christianam morum disciplinam fovendam sint praesertim statutae, idcirco omnem ecclesiae curam, sollicitudinem et vigilantiam prae ceteris educationis institutis sibi merito atque optimo iure semper vindicarunt. Ac propterea consilia conatusque arcendi a popularibus scholis ecclesiae potestatem proficiscuntur ex animo eidem ecclesiae summopere adverso, atque ex studio extinguendi in populis divinum sanctissimae fidei nostrae lumen. Quocirca ecclesia, quae easdem fundavit scholas summa cura studioque eas semper est prosequuta illasque veluti potiorem ecclesiasticae suae auctoritatis ac regiminis partem consideravit, et quaecumque earum ab ecclesia seiunctio maximum eidem ecclesiae ipsisque scholis affert detrimentum. Ii autem omnes, qui perperam contendunt, ecclesiam debere salutarem suam moderatricem vim erga populares scholas deponere aut intermittere, iidem nihil aliud profecto vellent, quam ut ecclesia contra divini sui auctoris mandata ageret, et gravissimo officio curandi omnium hominum salutem sibi divinitus commisso deesset. Certe quidem ubi in quibusque locis regionibusque perniciosissimum huiusmodi vel susciperetur vel ad exitum perduceretur consilium expellendi a scholis ecclesiae auctoritatem, et iuventus misere exponeretur damno circa fidem, tunc ecclesia non solum deberet intentissimo studio omnia conari nullisque curis unquam parcere, ut eadem iuventus necessariam christianam institutionem, educationem habeat, verum etiam cogeretur omnes fideles monere, eisque declarare, eiusmodi scholas catholicae ecclesiae adversas haud posse in conscientia frequentari.

Cap. VI. Const., *Ex debito*, dat. 6. Octobr. 1571, §. 1—3; in E. L. n. 137, II, 371.
b. Const., *Etsi minime*, dat. 7. Febr. 1742 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).
c. Pii IX. Breve ad archiepiscopum Friburgensem dat. 14. Iulii 1864.

TITULUS IV.

DE IUDAEIS, SARACENIS ET EORUM SERVIS.

Innocentius Papa IV. regi Franciae.

Cap. I. Admonetur rex Franciae, ut in regno suo faciat comburi libros Talmud, neque sinat christianos habere nutrices vel servientes iudaeos.

Iulius Papa III.

Cap. II. Episcopi et locorum ordinarii admonentur ut contra hebraeos, qui libros Talmudi aliosque, in quibus nomen Iesu blasphematur, retinent, variis poenis procedant.

Clemens Papa VIII.

Cap. III. Praedicta constitutio Iulii III. confirmatur et extenditur in eos omnes, qui libros contumeliosos in Deum et sanctos legunt vel retinent.

Gregorius Papa XIII.

Cap. IV. In omnibus civitatibus et locis, ubi Iudaeorum synagoga invenitur, curandum est episcopis, ut semel in hebdomade per magistrum in s. theologia lectiones de scripturis veteris testamenti et de veritate christianae fidei Iudaeis fiant, ut tandem ab erroribus ad catholicam fidem convertantur.

Clemens Papa VIII.

Cap. V. Leges praedecessorum summorum pontificum Iudaeis observandae confirmantur. Hebraei omnes in uno eodemque loco per magistratus assignando unicum ingressum et exitum habente inhabitent. Bona immobilia non possideant. In vestitu distinguantur a christianis. Medici iudaei ad infirmos christianos non accedant. Nutrices seu ancillas vel alios utriusque sexus servientes christiani non admittant.

TITULUS V.

DE HAERETICIS.

Alexander Papa IV. episcopis et aliis praelatis.

Cap. I. Locorum ordinarii inquisitoribus haereticae pravitatis in inquisitionis officio efficaciter assistant eisque consilium et auxilium praestent.

Tit. IV. Cap. I. Const., *Impia*, dat. 9. Mai 1244 integra recepta est. Exstat in E. L. n. 2, I, 85.

Cap. II. Const., *Quum sicut*, dat. 29. Maii 1554, §. 1, 2; in E. L. n. 24, I, 813.

Cap. III. Const., *Quum hebraeorum*, dat. 28. Febr. 1593, princ., §. 1—7; in E. L. n. 20, III, 27.

Cap. IV. Const., *Sancta mater*, dat. 1. Sept. 1584, §. 1—4; in E. L. n. 92, II, 512.

Cap. V. Bulla Clementis VIII., quae decreta in textu relata contineat, in bullariis non exstat. Caput libri nostri exhibet constitutionem Pauli IV., quae incipit, *Quum nimis*, in compendium redactam, paucis exceptis.

Tit. V. Cap. I. Const., *Exortis in agro*, dat. 15. Nov. 1258, §. 1; in E. L. n. 15, I, 118.

Idem inquisitoribus haereticae pravitatis.

Cap. II. Notati et suspecti de haeresi, qui se certis sub poenis ad parendum mandatis ecclesiae obligaverint vel super hoc fideiussorias cautiones praestiterint, etiam per censuras ecclesiasticas cogendi sunt, si mandatis per inquisitores factis parere recusaverint.

Idem inquisitoribus haereticae pravitatis.

Cap. III. Inquisitores h. pr. omnem habeant auctoritatem compellendi quoscunque ad sibi exhibendum scripturas et alia documenta ad s. officium pertinentia.

Idem inquisitoribus haereticae pravitatis.

Cap. IV. In causis fidei inquisitores h. pr. procedunt contra quoscunque quamvis privilegiatos. Necessitate exigente possunt adsciscere clericos saeculares vel regulares necnon laicos, qui tabellionum munere fungantur.

Pius Papa IV.

Cap. V. Inquisitores h. pr. possunt sibi eligere vel creare notarios quoscunque, etiam clericos saeculares vel regulares.

Urbanus Papa IV.

Cap. VI. In negotiis s. officii inquisitores contra requisitos inobedientes, vel impedientes, quominus causas fidei prosequantur, tanquam contra fautores haereticorum procedere possunt.

Pius Papa IV.

Cap. VII. Inquisitores non tenentur publicare depositiones testium contra haereticos examinatorum, neque cuiquam, nisi Romano pontifici, de processibus rationem reddere.

Ioannes XXII. inquisitoribus h. pr. per regnum Franciae constitutis.

Cap. VIII. Haeretici et Iudaei conversi ad fidem catholicam et ab ipsa postea apostatantes non debent gaudere immunitate ecclesiarum.

Cap. II. Const., *Ad audientiam*, dat. 13. Ian. 1260, integra recepta est; in E. L. n. 14, I, 118.

Cap. III. Const., *Cupientes*, dat. 4. Mart. 1260, integra recepta est; in E. L. n. 18, I, 119.

Cap. IV. Const., *Ne commissae*, dat. 15. Oct. 1260, integra descripta est; in E. L. n. 22, I, 120.

Cap. V. Const., *Pastoralis officii*, dat. 27. Aug. 1561, §. 1, 2; in E. L. n. 36, II, 54.

Cap. VI. Const., *Licet ex omnibus*, dat. 20. Mart. 1262, §. 15; in E. L. n. 2, I, 122.

Cap. VII. Const., *Quum sicut*, dat. 1. Novembr. 1562, princ., §. 1, 2; in E. L. n 40, II, 57.

Cap. VIII. Const., *Ex parte vestra*, dat. 13. Aug. 1316, integra recepta est; in E. L. n. 1, I, 191.

Martinus Papa V. in generali concilio Constantien. archiepiscopis, episcopis et inquisitoribus h. pr.

Cap. IX. Errores Ioannis Vuicleff, Ioannis Husz et Hieronymi Pragensis, haeresiarcharum damnantur, et in eorum sectatores et fautores ordinarii atque inquisitores omni diligentia procedant. Qui si in hoc negligentes fuerint statutis poenis subiaceant.

Sixtus Papa IV.

Cap. X. Asserentes non esse haereticum daemonum responsa exspectare poenis per sacros canones statutis obnoxii declarantur.

Alexander Papa VI. inquisitoribus h. pr.

Cap. XI. Incantationibus, veneficiis et diabolicis superstitionibus operam dantes inquirendi et puniendi sunt.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. XII. Laici et clerici sortilegiorum et incantationum rei quomodo puniendi.

Alexander Papa IV. inquisitoribus h. pr.

Cap. XIII. Inquisitoribus datur facultas cogendi quoscunque magistratus et officiales ad exsequendas sententias ab ipsis latas.

Innocentius Papa VIII. de haereticis.

Cap. XIV. Officiales saeculares sententias ab inquisitoribus h. pr. latas absque aliqua processuum revisione exsecutioni demandare teneantur.

Leo Papa X.

Cap. XV. Martini Lutheri errores damnantur et tenor sententiarum proscriptarum exhibetur.

Paulus Papa III.

Cap. XVI. In causis fidei inquisitores possunt procedere contra quoscunque, etiam regulares, non tamen contra episcopos.

Cap. IX. Const., *Inter cunctas*, dat. 22. Febr. 1418, §. 4—10 et 11 in fine; in E. L. n. 1, I, 288.

Cap. X. Const., *Nunciatum*, dat. 17. Iun. 1474; in E. a. 1586 facta est n. 2; in aliis bullariis non exstat.

Cap. XI. Const., *Quum acceperimus*, sine certa die; in bullariis non exstat.

Cap. XII. Const., *Supernae dispositionis*, dat. 21. Maii 1514, §. 41; in E. L. n. 7, I, 543.

Cap. XIII. Const., *Ad audientiam*, dat. 20. Ian. 1260; in E. L. n. 17, I, 119.

Cap. XIV. Const., *Dilectus filius*, dat. 30. Sept. 1486, §. 2; in E. L. n. 10, I, 440.

Cap. XV. Const., *Decet Romanum*, dat. 3. Ian. 1521, cui inserta est altera const., *Exurge Domine*, ita ut ex §. 1. prioris bullae principium tantum, ex altera vero §. 1 et 2, sed in compendium redactae, receptae sint. §. 3 qui errores damnatas refert, integra descripta est; in E. L. n. 41, I, 614.

Cap. XVI. Const., *In apostolici*, dat. 14. Ian. 1542, §. 2—4; in E. L. n. 30, I, 751.

Pius Papa IV.

Cap. XVII. Inquisitores h. pr. in causis fidei procedere possunt contra fratres professos ac religiosos quorumcumque ordinum ac etiam contra omnes quovismodo exemptos et privilegiatos.

Idem.

Cap. XVIII. Inquisitores generales Romani etiam contra praelatos quamvis in episcopali ordine constitutos, si haeresis culpabiles vel haereticorum fautores exstiterint, procedere debent.

Idem.

Cap. XIX. Legentes vel retinentes libros haereticorum vel alios prohibitos excommunicantur. Libri eiusmodi ordinariis vel inquisitoribus consignentur.

Julius Papa III.

Cap. XX. Impedientes inquisitores h. pr., ne officium suum impleant, vel in eorum causis se ingerentes excommunicatione plectuntur.

Pius Papa V.

Cap. XXI. Contra offendentes personas vel res inquisitorum, accusatorum vel testium in negotiis fidei gravissimae poenae constituuntur.

Paulus Papa IV.

Cap. XXII. Negantes s. trinitatem in unitate substantiae, vel Jesu Christi divinitatem et humanitatem, eumque non subiisse mortem crucis ut nos a peccatis et ab aeterna morte redimeret, vel asserentes B. V. Mariam non esse veram Dei matrem nec perstitisse semper in virginitatis integritate, tanquam relapsi in haeresim puniantur.

Idem.

Cap. XXIII. Censurae atque aliae gravissimae poenae promulgantur in haereticos et schismaticos, etiam praelatos, necnon in principes cuiuscunque gradus, si forte haeresis rei inveniantur.

Cap. XVII. Const., *Pastoris aeterni*, dat. 1. April 1562, §. 2; in E. L. n. 51, II, 71.

Cap. XVIII. Const., *Romanus pontifex*, dat. 7. April 1563, §. 1, 2; in E. L. 67, II, 103.

Cap. XIX. Quae textus decretalis habet, ita in nulla constitutione Pii V. leguntur. Haud dubito, quin compilatores ex duobus Pii V. bullis textum nostrum conflaverint, quarum altera incipit, *Quum pro munere*, a. 1564, altera, *Dominici gregis*, eodem anno 1564 edita; in E. L. n. 72 et 73. tom, II. Conf. Pii IX. const., *Apostolicae sedis*, in fine tituli de poenis V, 17.

Cap. XX. Const., *Licet a diversis*, dat. 18. Martii 1551, pr., §. 1—3; in E. L. n. 11, I, 799.

Cap. XXI. Const., *Si de protegendis*, dat. 1. April. 1569, §. 2—9; in E. L. n. 82, II, 298. Conf. Pii IX. const., *Apostolicae sedis*, in fine tituli de poenis V, 17.

Cap. XXII. Const., *Quum quorundam*, dat. 7. Aug. 1555, §. 1—3; in E. L. n. 4, I, 821.

Cap. XXIII. Const., *Quum ex apostolatus*, dat. 15. Febr. 1559, in compendium redacta est; in E. L. n. 19, I, 841.

Pius Papa V.

Cap. XXIV. Diversis delictis Elisabeth, Angliae reginae, enumeratis, ipsa cum suis asseclis excommunicatur atque e regni et omnium dignitatum iure excidisse declaratur.

Idem.

Cap. XXV. Cardinalibus inquisitoribus in causis fidei omnes locorum ordinarii et magistratus saeculares parere tenentur.

Gregorius Papa XIII.

Cap. XXVI. Singula Judaeorum flagitia enumerantur, in quae inquisitores h. pr. animadvertere possint.

Sixtus Papa V.

Cap. XXVII. Henricus Borbonius, Navarrae rex, et Henricus Borbonius, princeps Condensis, quia in haeresim relapsi sint aliaque flagitia commiserint, excommunicati atque regno et principatibus privati, eorum vero subditi ab omni fidelitatis et obsequii nexu soluti declarantur.

TITULUS VI.

DE SCHISMATICIS.

Pius Papa II.

Cap. I. Appellantes ab ordinationibus seu mandatis Romanorum pontificum pro tempore existentium ad universale futurum concilium nec non ii, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit, ipso facto censuram excommunicationis papae reservatam et eorum poenas incurrant, qui criminis maiestatis atque haeresis rei inveniantur.

Clemens Papa XII.

a. *Societates secretae et conventicula eorum, qui vulgo liberi muratores dicuntur condemnantur, et omnes illis adscripti censurae excommunicationis papae reservatae obnoxii declarantur.*

Cap. XXIV. Const., *Regnans in excelsis*, dat. 25. Febr. 1570, princ., §. 1—6; in E. L. n. 101, II, 324.

Cap. XXV. Const., *Sanctissimus*, a. 1566; in E. L. n. 1, II, 189.

Cap. XXVI. Const., *Antiqua*, dat. 1. Iunii 1581, princ., §. 1—13; in E. L. n. 120, II, 484.

Cap. XXVII. Const., *Ab immensa aeterni regis*, dat. 9. Sept. 1585; in E. L. n. 1, X, 163.

Tit. VI. Cap. I. Const., *Execrabilis*, dat. 28. Ian. 1459, integra descripta est; in E. L. n. 5, I, 369.

a. Const., *In eminenti*, dat. 23. April. 1738; Bullar. Rom. cont. n. 229, XV, 184. Benedictus XIV. const., *Providas Romanorum*, dat. 18. Maii 1751 (Bullar. Bened. XIV. T. III.), constitutionem Clementinam in omnibus confirmavit.

Pius Papa VIII.

b. Societas secreta, carbonariorum dicta, reprobatur eiusque socii ipso facto excommunicationis vinculo obstricti denunciantur.

Pius Papa IX.

c. Quae societates secretae inter prohibitas et damnatas numerandae sint?

S. congregatio s. Inquisitionis feria IV., 15. Aug. 1846 decrevit: „Societates occultae, de quibus in pontificiis constitutionibus sermo est, eae omnes intelliguntur, quae adversus ecclesiam vel gubernium sibi aliquid proponunt, exigant vel non exigant a suis asseclis iuramentum de secreto servando*.

Idem.

d. Dubiis diversis, an certae societates secretae constitutionibus pontificiis tanquam prohibitae habendae sint, respondetur.

Franciscus Kenrick, episcopus Philadelphiensis, s. congregationi de propaganda die 26. Febr. 1848 exposuit quae sequuntur. De societatibus secretis nunc iudicium s. sedis postulandum duxi; in hac quippe regione pullulant vigentque infinito pene numero. Liberorum muratorum coetus damnatos novi, quos idcirco a sacramentis procul esse iubemus, licet plerique profiteantur, se nihil adversus ecclesiam moliri et leges civiles eos immunes noxa habeant. Sunt, qui dicuntur socii singulares (anglice Odd Fellows), qui occulto foedere coniunguntur muratorum instar; alii filii temperantiae audiunt, hanc colere virtutem profitentes, sed signa inter se utentes, quibus se invicem internoscant. Quidam iuramentum non emittunt, sed pacto et promissione ad arcanum servandum se obligant, quamvis plerique nullum praeter agnitionis indicia arcanum se habere dicant. Hos omnes leges tolerant vel etiam sanciunt, privilegia collegiorum eis tribuentes; et exploratum est, eos nihil contra rem publicam moliri. Quod autem ecclesiae adversentur, negant plerique; quamvis enim cuiuslibet sectae ho-

---

b. Const., *Ecclesiam*, dat. 12. Sept. 1821; contin. XV, 446. Leo XII. const., *Quo graviora*, dat. 23. Mart. 1825 (contin. XVI, 345) poenas praedictas in liberos muratores aliosque eiusmodi sectarum socios confirmavit, id quod post eum fecerunt Gregorius XVI. d. 15. Aug. 1832 et Pius IX. in pluribus allocutionibus, praesertim in allocutione in consistorio secreto Gaetae habita die 20. April. 1849; in alio diei 25. Sept. 1865; Conf. Literas encyclicas, *Qui pluribus*, dat. 9. Nov. 1846.

c. Decretum s. congr. Inquisitionis d. 15. Aug. 1846; descriptum ex concilio plenario Baltimorensi II. a. 1866; Archiv. XXII, 210.

* Ad hoc decretum nonnullis episcopis Americae d. 13. Iulii 1861 transmissum card. praefectus cong. de propag. fide haec adiecit: „Voluit praeterea Sanctitas sua, ut tibi subiungeretur, recurrendum esse ad s. sedem, et quidem omnibus ad amussim expositis rerum adiunctis, si quae forte difficultates in applicatione praedicti decreti inveniantur."

d. Rescriptum s. congregationis s. Officii dat. 21. Aug. 1850. Ex conc. Baltimorensi II. citato; Archiv. XXII, 209, 211 sq.

mines in eas recipiuntur, de religione non agunt nisi apud filios temperantiae scripturis sacris initio coetus aliquando perlectis in reverentiae erga illas testimonium. Quae igitur Leo XII. de societatibus secretis statuit, eis applicari non posse quidam contendunt. Equidem puto, eos non id sibi proponere, ut religioni noceant, sed cum mores componere studeant iuxta rationis lumen et virtutes colant absque religionis subsidiis, videntur eo tendere ipsa vi sua, ut religio, quam dicunt naturalem, maximi habeatur, discrimine inter ecclesiam veram et sectas, tamquam de rebus minoris momenti, flocci habito. Hactenus coetus omnes secretos illicitos putavimus esse . . . sed praesules nonnulli videntes subdubitare, utrum constitutionem Leonis XII. rigidius aequo interpretati fuerimus, praesertim quum hi omnes in Anglia et Hibernia liciti censeantur . . . Vellem idcirco instrui, utrum coetus illi pro vetitis habendi sint, qui profitentur, se nihil adversus religionem moliri vel civilem rem publicam, licet occultum ineant foedus iuramento firmatum, vel alias se obligent ad arcanum? Hisce literis s. congregatio generalis s. R. et univ. Inquisitionis feria IV. die 21. Aug. 1850 respondit: *Comprehendi in bullis pontificiis**.

Iulius Papa II. in generali concilio Lateranensi.

Cap. II. Conciliabulum Pisanum ut schismaticum, necnon omnia in eo acta, damnantur.

TITULUS VII.

DE APOSTATIS.

Paulus Papa IV.

Cap. I. Religiosi professi temeritate propria extra claustra vagantes et apostatae a religione omnibus beneficiis vel proventibus ecclesiasticis, dignitatibus et gradibus, quae forte obtinuerint, privantur, et ad ea in posterum obtinenda inhabiles, ab exsecutione ordinum, etiam sacrorum, suspensi declarantur quousque ad religionem et suos conventus a suis superioribus recipiantur.

---

* Rescripto citato adiectae erant literae Emi. cardinalis Fransoni, congregationi de propag. fide praefecti, episcopo Philadelphensi die 7. Sept. 1850 datae, quarum tenor hic est: „Ex adiecto rescripto congreg. s. officii Amplitudo tua dignoscet, quid circa propositum dubium quoad societates nonnullas istic institutas sit retinendum. Iuvat porro animadvertere, secretum ac tenebras, quibus societates nonnullae obvolvuntur, praecipuam esse rationem, ob quam per apostolicam sedem contra ipsas damnatio fuit lata; inde vero facile regula deduci poterit, ut in praxi iudicium de iis efformetur.

Cap. II. Const., *Quum inchoatum*, dat. 1. Mart. 1512, §. 1, 2; in E. L. n. 31, I, 525. Quae bulla Pauli IV. constitutione Pii IV., quae incipit, *Sedis apostolicae*, dat. 3. April. 1560, ad terminos iuris reducta est.

Tit. VII. Cap. I. Const., *Postquam divina*, dat. 20. Iul. 1558, §. 2 usque ad medium; in E. L. n. 29, I, 833.

Urbanus Papa VIII.

a. *Nullus religiosus professus a religione eiici potest, nisi sit vere incorrigibilis, i. e. si non solum concurrant ea omnia, quae ad hoc ex iuris communis dispositione, sublatis statutis et constitutionibus cuiusvis ordinis, requiruntur, verum etiam ipse huiusmodi professus per unius anni spatium in ieiunio et poenitentia probetur. Quod si etiam tunc induratus existat, eiiciatur, sed instructo prius ab ipso generali cum assensu sex patrum graviorum ordinis ad praescriptum constitutionum processu et plene probatis ad sacrorum canonum praescripta expulsionis causis. Ceterum superiores nihil intentatum relinquant, ut animas fratrum lucrentur antequam extremum expulsionis remedium experiantur. Nulli religioso expulso literas testimoniales concedant. Eiecti iurisdictioni et obedientiae ordinarii loci subsint, et extra religionem degentes ab exercitio ordinum perpetuo suspensi maneant, quam suspensionem ordinarii locorum relaxare non possunt. Innovatur Gregorii IX. const. in cap. fin. X. de regularibus, et declaratur eam constitutionem in iis quoque vindicare sibi locum et servandam esse, qui iuste definitiveque expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis huiusmodi spes evidens emendationis, ex literis saltem ordinarii, eluceat.* *

TITULUS VIII.

DE HOMICIDIO.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Voluntarii homicidae nunquam, casuales quomodo ordinandi.

Sixtus Papa V.

a. *Clerici, qui scienter abortum procuraverint, sive foetus animati sive inanimis, effectu secuto, tamquam homicidae voluntarii, praeter alias poenas, quibus subiacent, ad sacros ordines promoveri, vel in suscepto ordine ministrare nullo modo possunt. Illi etiam, qui clerici non sunt, si criminis abortus rei fuerint, ad ordines inhabiles declarantur.* **

---

a. Decretum s. congr. concilii Trid. approbat. ab Urbano VIII. dat. 21. Sept. 1624; in E. L. n. 26, IV, 63.

* Constitutio Urbani VIII. ab Innocentio XII. in suo decreto de regularibus eiectis et eiiciendis, dat. 24. Iulii 1694 (in E. L. n. 113, VII, 284), confirmata, in paucis moderata fuit.

Tit. VIII. Cap. I. Sess. XIV. de ref. c. 7.

a. Const., *Effrenatum*, dat. 29. Oct. 1588; in E. L. n. 87, 702. De ceteris poenis criminis abortus vide infr. cap. 10 de poenis V, 17.

** Poenas a Sixto V. constitutas Gregorius XIV. const., *Sedis apostolicae*, dat. 13. Mart. 1591 (in E. L. n. 8, II, 766), ad procurationem abortus foetus animati restrinxit. Quoad foetum inanimem poenas ad terminos iuris revocavit. Conf. infra nota ad cap. 10 de poenis V, 17.

TITULUS IX.

DE TORNEAMENTIS.

Pius Papa V.

Cap. I. Agitationes et spectacula taurorum atque aliarum ferarum bestiarum prohibentur; vota vel iuramenta intuitu certaminum huiusmodi facta invalida declarantur.

TITULUS X.

DE PUGNANTIBUS IN DUELLO.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Monomachia poenis gravissimis punitur. *

Gregorius Papa XIII.

Cap. II. Contra eos, qui duellum, quod publice prohibitum est, privatim exerceri licite posse affirmant, constituitur, poenis a concilio Tridentino statutis subiacere omnes illos, qui ex condicto statuto tempore et in loco convento monomachiam commiserint, etiam si nulli patrini sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita nullaeve provocatoriae literae aut denunciationis chartulae praecesserint. Iisdem poenis obnoxii sint domini, qui huiusmodi certamen permiserint, aut, quum possent, non prohibuerint, omnesque mandantes, auxilium vel favorem praestantes aut ex composito spectatores sociive. Quae poenae etiam tunc locum sibi vindicant, si illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint, si per ipsos non steterit, quominus illa committatur.

Clemens Papa VIII.

Cap. III. Constitutiones apostolicae et concilii Tridentini decreta lata contra pugnantes in duello privatim vel publice confirmantur et poenae statutae in duellantes ad certos casus, qui enumerantur, extenduntur. *

Tit. IX. Cap. I. Const., *De salute*, dat. 1. Nov. 1567, §. 2—7; in E. L. 48, II, 260. Tit. X. Cap. I. Sess. XXV. de ref. c. 19.

* Pius IV. const., *Ea quae a praedecessoribus*, dat. 13. Nov. 1560 (in E. L. n. 21, II, 32), constitutiones a. Iulio II., Leone X. et Clemente VII. contra duellantes latas confirmavit, novas poenas adiecit easque ad fautores pugnantium, chartas certaminum subscribentes vel affigentes extendit.

Cap. II. Const., *Ad tollendum*, dat. 5. Dec. 1582, princ., §. 1; in E. L. n. 77, II, 493.

Cap. III. Const., *Illius vices*, dat. 4. Sept. 1592, §. 4—8; in E. L. n. 11, III, 14.

* Benedictus XIV. const., *Detestabilem*, dat. 10. Nov. 1752, sequentes propositiones duellorum usibus faventes damnavit: 1. Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abiectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat sive acceptet duellum. 2. Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis

TITULUS XI.

DE RAPTORIBUS.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. In raptores animadvertitur.

TITULUS XII.

DE FURTIS.

Iulius Papa III.

Cap. I. Nautis et mercium conductoribus in urbibus, litoribus et ripis dominii sedi apostolicae immediate vel mediate subiecti nulla impedimenta parentur, immo illis naufragantibus auxilium praestetur.

TITULUS XIII.

DE USURIS.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Montes pietatis, in quibus pro impensis et indemnitate ministrorum et rerum ad montium huiusmodi conservationem pertinentium aliquid moderatum ultra sortem, absque lucro ipsorum, recipitur, licitos, immo commendandos esse constituitur.

Pius Papa V.

Cap. II. Damnantur cambia tamquam usuraria, quae sicca nominantur et ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas seu ad alia loca cambia celebrare simulent, ad quae loca ii, qui pecuniam recipiunt, literas quidem suas cambii tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, ut transacto tempore, unde processerant, inanes referantur, aut etiam nullis huiusmodi

---

vitandae gratia duellum acceptantes vel ad aliud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam. 3. Non incurrit ecclesiasticas poenas ab ecclesia contra duellantes latas dux vel officialis militiae, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae et officii. 4. Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulsari nequit. 5. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia vel malitia magistratus iustitia aperte negatur. Conf. Pii IX. const., *Apostolicae sedis*, infra a. de poenis V, 17.

Tit. XI. Cap. I. Sess. XXIV. de ref. matrim. c. 6.

Tit. XII. Cap. I. Const., *Quum nobis nuper*, dat. 22. Octobr. 1554; in editione bullarii a. 1586 est n. 49: in aliis bullariis non legitur.

Tit. XIII. Cap. I. Const., *Inter multiplices*, dat. 4. Maii 1515, §. 4, 5; in E. L. n. 11, I, 554.

Cap. II. Const., *In eam*, dat. 28. Ian. 1571, §. 2, 3; in E. L. n. 118, II, 349.

literis traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, ubi contractus fuerat celebratus; nam inter dantes et recipientes usque a principio ita convenerat, vel certe talis intentio erat, neque quisquam est, qui in nundinis aut locis supradictis huiusmodi literis receptis solutionem faciat. Cui malo simile illud esse declaratur, cum pecuniae sive depositi sive alio nomine ficti cambii tradantur, ut postea eodem in loco vel alibi cum lucro restituantur. Ea etiam cambia, quae realia appellantur, usurae nomine veniunt, si campsores praestitutum solutionis terminum, lucro ex tacita vel expressa conventione recepto seu etiam tantummodo promisso, differunt.

Benedictus Papa XIV.

a. *Doctrina de usura exponitur. Usura in eo consistit, quod quis in contractu mutui supra sortem lucrum aliquod ipsius ratione mutui sibi reddi postulat.* Omne igitur lucrum, quod sortem superet, illicitum et usurarium est. Quandoque una cum mutui contractu rationes concurrere possunt, ex quibus aliquid supra sortem exigere liceat. Quae in hac materia observanda sint.*

Pius Papa VIII.

b. *Quomodo se gerere debeant confessarii cum eis, qui lucrum perceperint ex pecunia negotiatoribus data, ut ea ditescant.*

Episcopus Rhedonensis in Gallia exponit sacrae congregationi inquisitionis, non eamdem esse confessariorum suae dioecesis sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data, ut ea ditescant. De sensu epistolae encyclicae *„Vix pervenit“* acriter disputatur. Ex utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam, quam quisque amplexus est, sententiam, tali lucro faventem aut contrariam. Inde querelae, dissensiones, denegatio sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi modo inhaerentibus et innumera damna animarum. Ut animarum damnis occurrant, nonnulli confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum ab eo deterrere conantur. Si poenitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus et obiiciat, sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos et insuper non fuisse damnatam a sancta sede non semel ea de re consulta; tunc isti confessarii exigunt, ut poenitens promittat se filiali obedientia obtemperaturum iudicio summi pontificis, si intercedat, qualecumque sit; nec, hac promissione obtenta, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem contrariam tali mutuo. Si poenitens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data et videatur in bona fide, isti confessarii, etiamsi aliunde noverint ab eo perceptum esse aut etiam nunc percipi istiusmodi

---

a. Const., *Vix pervenit*, dat. 1. Nov. 1741 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

* In const., *Inter multiplices*, c. 1. h. t. citata usura in eo consistere declaratur, quod ex usu rei, quae non germinat, nullo labore, nullo sumptu nullove periculo lucrum foetusque quaeritur.

b. Rescriptum s. congregationis inquisitionis dat. 18. Aug. 1830 ad episcopum Rhedonensem.

lucrum, eum absolvunt, nulla ea de re interrogatione facta, quando timent, ne poenitens admonitus restituere aut a tali lucro abstinere recuset. Inquirit ergo dictus episcopus Rhedonensis: *I. Utrum possit horum posteriorum confessariorum agendi rationem probare. II. Utrum alios confessarios rigidiores ipsum adeuntes consulendi causa possit hortari, ut istorum agendi rationem sequantur, donec sancta sedes expressum ea de quaestione iudicium ferat.* Feria IV., die 18. Augusti 1830. Sanctissimus Dominus noster Pius divina providentia Papa VIII. in solita audientia R. P. D. assessori sancti Officii impertita, audita relatione superiorum dubiorum una cum voto Eminentissimorum cardinalium inquisitorum generalium, respondit: *Ad I. Non esse inquietandos. Ad II. Provisum in primo*.*

TITULUS XIV.

DE MALEDICIS.

Pius Papa V.

Cap. I. Clerici blasphemiae rei pro diversitate huius criminis variis poenis obnoxii sint.

TITULUS XV.

DE CLERICO PER SALTUM PROMOTO.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. I. Quando episcopus cum clerico per saltum promoto dispensare possit.

Sixtus Papa V.

Cap. II. Episcopi vel alii ius conferendi ordines habentes, qui aliquos ad quoscunque ordines per simoniam ordinaverint, eo ipso ab exsecutione omnium munerum pontificalium suspensi, ab ingressu ecclesiae interdicti existant aliisque gravioribus poenis summi pontificis arbitrio infligendis subiaceant. Clerici simoniace promoti ab exsecutione ordinum susceptorum et ab omni spe ascendendi ad ulteriores ordines suspensi existant; quod si in illis ministrare praesumpserint, irregulares sint, omnibus beneficiis, officiis, dignitatibus priventur, atque ad ea vel alia in posterum obtinenda inhabiles et incapaces declarantur. **

---

* Ad dubium ab episcopo Nicaeensi propositum: An poenitentes, qui moderatum lucrum solo legis titulo dubia vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam vel malam fidem peccato sincere doleant et filiali obedientia parati sint stare mandatis s. sedis? s. congr. R. et u. inquisitionis respondit: Affirmative, dummodo parati sint stare mandatis s. sedis. Responsum R. et u. inquisitionis dat. 17. Ian. 1838.

Tit. XIV. Cap. I. Const., *Quum primum*, dat. 1. April. 1566, §. 10; in E. L. n. 5, II, 192.

Tit. XV. Cap. I. Sess. XXIII. de ref. c. 14.

Cap. II. Const., *Sanctum et salutare*, dat. 5. Ian. 1588, §. 2, 3.; in E. L. n. 91, II, 711. Bulla omnino moderata est, ut in nota immediate sequenti exponam.

** In textu genuino bullae Sixtinae generatim contra male promoventes ad ordines

TITULUS XVI.

DE PRIVILEGIIS ET EXCESSIBUS PRIVILEGIATORUM.

Pius Papa V.

Cap. I. Privilegia concessa societati Crucesignatorum antiquitus in praesidium et auxilium s. inquisitionis institutae confirmantur.

Eugenius IV. in generali concilio Florentino.

Cap. II. Antiqui patriarcharum gradus confirmantur. Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post Romanum pontificem, tertius Alexandrinus, quartus Antiochenus et quintus Hierosolymitanus.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. III. Regulares a praelatis ad processionem requisiti accedere tenentur. Sacramentum poenitentiae forensibus ministrare possunt. S. eucharistiam et extremam unctionem sub certis tantum conditionibus.

Idem in eodem.

Cap. IV. Regulares ministris quibuscunque obsequio ipsorum insistentibus sacramenta eucharistiae, extremae unctionis et alia ecclesiastica sacramenta nullatenus ministrare valeant nisi illorum durante obsequio.

---

ecclesiasticos, sive irregularibus, sive extra tempora, aut non servatis interstitiis, sive per saltum vel furtive aut sine titulo sufficienti ordines quoscunque conferendo, poenae gravissimae statuuntur, videlicet ut ordinatores huiusmodi a quorumcunque ordinum collatione, ab omnium munerum pontificalium exsecutione suspensi, ab ingressu ecclesiae interdicti ipso iure existant. Rigidioribus poenis in eos, qui praedicto modo male promoti fuerint, animadvertitur, praesertim etiam ut male promoti in ordine sic suscepto ministrantes irregularitatem incurrant, a qua nemo alius, quam summus pontifex dispensare possit, etiam si factum sit occultum. Statutis poenis etiam simoniace promoventes vel promotos, praeter alias a iure constitutas, subiacere declaratur. Clemens VIII. constitutione, *Romanum pontificem*, dat. 28. Febr. 1595 (in E. L. n. 40, III, 60), „dictas literas (Sixti V.) ad terminos sacrorum canonum ac constitutionis r. m. Pii II., quae incipit, *Cum ex sacrorum*, . . . et ad dispositionem decretorum s. Tridentini concilii restrinxit et reduxit, necnon censuras et poenas in eisdem Sixti literis contra quoscunque, praeterquam contra simoniace ordinantes et ordinatos inflictas, quas voluit in suo robore permanere (aliis etiam poenis et censuris per eosdem canones ac constitutionem Pii II. conciliumque Tridentinum iniunctis salvis et firmis remanentibus), moderatus est et abolevit.“ Conf. *Fagnanus* in cap. *Non est compos*, n. 12. de temp. ordinat.

Tit. XVI. Cap. I. Const., *Sacrosanctae*, dat. 13. Octobr. 1570, princ., §. 1, 2; in E. L. n. 110, II, 337.

Cap. II. Const., *Laetentur coeli*, dat. 4. Iul. 1439, §. 9; in E. L. n. 17, I, 336. Gregorii XV. const., *Circumspecta*, dat. 17. Aug. 1622 (in E. L. n. 32, III, 464), privilegia et indulta, quibus patriarchae, archiepiscopi et episcopi in capella Papae gaudent, enarrantur.

Cap. III. Const., *Dum intra mentis*, dat. 19. Dec. 1519, §. 5, 7; in E. L. n. 22, I, 582. Pius IX. const., *Apostolicae sedis*, dat. 12. Oct. 1869, religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum extremae unctionis aut eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia censuram excommunicationis papae reservatam ipso iure incurrere constituit.

Cap. IV. Const. *Dum intra mentis*, cap. III. praecedenti citata, §. 7 in fine. Conf. supra nota ad cap. 1. de parochiis III, 15.

Idem in eodem.

Cap. V. Fratres et sorores tertii ordinis in propriis domibus habitantes iurisdictioni ordinariorum subiaceant et die paschatis eucharistiam necnon extremam unctionem ceteraque sacramenta (poenitentiae sacramento dumtaxat excepto) a proprio sacerdote recipiant. Privilegio fori non gaudeant. Collegialiter autem viventes, seu cum claustralibus habitantes, ac virgines castam vitam expresso voto et sub habitu ducentes iisdem privilegiis, quibus fratres ordinis, cuius tertiae regulae habitum gestant, gaudere debent.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. VI. Quaenam causae civiles ab episcopis cognosci possint.

Paulus Papa V.

a. *Decretum (praedictum) concilii Tridentini sess. VII. c. 14 de ref. eo sensu intelligendum est, ut regularium intra claustra degentium causae civiles non coram ordinario loci cognoscantur, atque inde quoad competentiam superiorum regularium nihil innovatum sit.*

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. VII. Nulli alienos clericos ex privilegio punire licet.

Ex eodem.

Cap. VIII. Honorarii tituli aut privilegia particularia episcoporum iuri nihil detrahant. Cap. *Quum capella Extra* de privilegiis innovatur.

Pius Papa IV.

Cap. IX. Privilegia maris magni et alia indulta quibuscunque, etiam regularibus, concessa revocantur.

Pius Papa V.

Cap. X. Indulta promovendi ad doctoratus, licentiatus et magisterii gradum comitibus palatinis, officialibus curiae Romanae vel aliis singulis personis concessa tolluntur.

Gregorius Papa XIII.

Cap. XI. Privilegia concessa militibus hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani ad terminos concilii Tridentini (Sess. XXIV. cap. 11 de ref.) revocantur.

Gregorius Papa XV.

b. *Indulta et privilegia quaecunque vivae vocis oraculo a summis pontificibus concessa revocantur, exceptis oraculis factis S. R. E. cardinalibus et eorum manu firmatis.*

Cap. V. Const., *Dum intra mentis*, citata, §. 19.

Cap. VI. Sess. VII. de ref. c. 14.

a. Const., *Religiosorum*, dat. 24. Aug. 1607; in E. L. n. 34, III, 252. Conf. supra c. de iudiciis II, 1.

Cap. VII. Sess. XIV. de ref. c. 8.

Cap. VIII. Sess. XXIV. de ref. c. 11.

Cap. IX. Const., *In principio*, dat. 17. Febr. 1564, §. 2; in E. L. n. 94, II, 145.

Cap. X. Const., *Quamvis a sede*, dat. 1. Iun. 1568, §. 2; in E. L. n. 60, II, 372.

Cap. XI. Const., *Circumspecta*, dat. 25. Nov. 1580, §. 2; in E. L. n. 67, II, 480.

b. Const., *Romanus pontifex*, dat. 2. Iul. 1622; in E. L. n. 27, III, 476. Decretum

Innocentius Papa X.

c. *Regulares asserentes se habere privilegia, quominus episcopo in exsecutione mandatorum iuris communis, concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum obediant, ad integram ipsorum privilegiorum exhibitionem tenentur, alioquin episcopus huiusmodi assertioni fidem adhibere non debet.*

TITULUS XVII.

DE POENIS.

Alexander Papa VI.

Cap. I. Offendentes per se vel per alium litigantes in curia Romana eorumve procuratores vel testes gravissimis poenis plectuntur.

Pius Papa V.

Cap. II. Clerici crimen nefandum exercentes omni privilegio clericali, omni officio, dignitate et beneficio ecclesiastico priventur. Per iudicem ecclesiasticum degradati potestati statim saeculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in laicos horrendi criminis reos legum sanctionibus reperitur constitutum. *

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. III. Innovantur constitutiones cum poenis contra eos latis, qui offendunt vel vulnerant S. R. E. cardinales eorumve domum vel bona invadunt, vel in his consilium vel auxilium suum praestiterint.

Pius Papa V.

Cap. IV. Poenae in offendentes cardinales constitutae extenduntur in scientes machinationes contra cardinales factas, sed non revelantes.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. V. Usurpantes verba scripturae sacrae ad profana et similia puniendi sunt.

---

hoc Urbanus VIII. const. *Alias*, dat. 20. Dec. 1631 (in E. L. n. 9, IV, 16 in appendice) etiam ad concessiones S. R. E. cardinalibus factas extendit quamvis ipsius summi pontificis manu signatas; sed altera sua constitutione, quae incipit, *Inter ceteras*, dat. 3. April. 1635 (in E. L. l. c. p. 47), declaravit non comprehendi hoc decreto vivae vocis oracula illis officialibus data, quibus ratione muneris antea de summi pontificis responsis fides haberi solebat.

c. Resolutio s. congreg. Concilii dat. 14. Martii 1648 et approbata ab Innocentio X.; vide Fagnanum, Commentarii in cap. *Sane*, de offic. et potest. iudicis deleg. Conf. supra c. de testibus II, 6.

Tit. XVII. Cap. I. Const., *In eminenti*, dat. 13. April. 1500, §. 4; in E. L. n. 11, I, 462.

Cap. II. Const., *Horrendum*, dat. 30. Aug. 1568; in E. L. n. 72, II, 287.

* De poenis latis contra exquirentes nomen complicis in confessione et contra sollicitantes in confessione ad turpia cf. h. sqq. tit. de poenitentiis et remiss. V, 18.

Cap. III. Const., *Temerariorum*, dat. 16. Mart. 1516, §. 2, 3, in E. L. n. 16, I, 565.

Cap. IV. Const., *Infelicis*, dat. 19. Dec. 1569, §. 3—6; in E. L. n. 93, II, 315.

Cap. V. Sess. IV. Decretum de editione et usu sacrorum librorum, §. Post haec temeritatem.

Ex eodem.

Cap. VI. Qua ratione clerici ob gravia crimina sacris exauctorandi.

Ex eodem.

Cap. VII. Bonorum cuiuscunque ecclesiae occupatores puniuntur.

Ex eodem.

Cap. VIII. Concubinatus poenis gravissimis punitur.

Pius Papa V.

Cap. IX. Ambientes dignitates et officia iurisdictionis mediante pecunia vel promissione aut traditione aliarum rerum, necnon mediatores poenis plectuntur.

Sixtus Papa V.

Cap. X. Poenis homicidii voluntarii subiacere declarantur procurantes abortum, etiam ipsae praegnantes mulieres, qui scienter id fecerint, necnon consilium et auxilium ad procurandum praestantes.

Gregorius Papa XIII.

Cap. XI. Sponsiones quaecunque super vita, morte et futura electione summi pontificis vel de promotionibus S. R. E. cardinalium damnantur.

Pius Papa IX.

a. Ecclesiasticae censurae latae sententiae limitantur.

Apostolicae sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, eadem apostolica sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo nostro iampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius ecclesiae tutandam,

---

Cap. VI. Sess. XIII. de ref. c. 4.

Cap. VII. Sess. XXII. de ref. c. 11.

Cap. VIII. Sess. XXIV. de ref. c. 8.

Cap. IX. Const., *Etsi Romani*, dat. 5. Dec. 1571, §. 3, 4; in E. L. n. 140, II, 373. Inter partes decretalis nostrae, quae ex §. 3 et 4 bullae constant, interposita sunt verba haec: „quod etiam ad mediatores extendimus ac etiam ad illos, qui pro huiusmodi officiis iurisdictionis administrationem habentibus conferendis pecunias vel alias res receperint vel habuerint.“ Quae quidem verba desumpta sunt ex Pii V. const., *Quum* nuper, dat. 21. Febr. 1572, §. 1 in medio (in E. L. n. 140, II, 374), ita ut cap. IX. ex duabus bullis conflatum esse in exemplari Casanatensi recte annotatum legatur.

Cap. X. Const. *Effrenatam*, dat. 29. Octobr. 1588, §. 1—5; in E. L. n. 87, II. 702. Bulla in compendium redacta est iuxta moderationem, quam in duabus suis partibus Gregorii XIV. constitutione, quae incipit, *Sedis apostolicae*, dat. 13. Martii 1591 (in E. L. n. 8, II, 766), accepit. Conf. Pii IX. const., *Apostolicae sedis*, citata a. h. t.

Cap. XI. Const., *Coget nos*, dat. 21. Mart. 1591, §. 1—5; in E. L. n. 4, II, 759.

a. Pii PP. IX. constitutio, *Apostolicae sedis*, dat. 12. Oct. 1869, qua ecclesiasticae censurae latae sententiae limitantur.

effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse, quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse, eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates angoresque conscientiae; Nos eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri nobisque proponi iussimus, ut diligenti adhibita consideratione statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in negotiis fidei generalibus inquisitoribus per universam christianam rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione nostra, deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant, simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa constitutione nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano pontifici reservatae.

Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano pontifici reservatae subiacere declaramus: 1. Omnes a christiana fide apostatas et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores ac generaliter quoslibet illorum defensores. 2. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate sedis apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugantes necnon libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes. 3. Schismaticos et eos qui a Romani pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt. 4. Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum pontificum pro tempore existentium ad universale futurum concilium appellantes, necnon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit*.

* Pii II. const., *Execrabilis*, dat. 28. Ian. 1459 (in E. L. n. 5, I, 369), appellantes a summo pontifice ad futurum concilium gravissimis poenis subiacere constituitur, quae bulla confirmata est a Sixto IV. et Iulio II; deinde prohibitio appellationis huiusmodi in bullam Coenae (art. 2.) recepta est.

5. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, sedisque apostolicae legatos vel nuncios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris, seu dominiis eiicientes, necnon ea mandantes vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem. 6. Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes. 7. Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones; item edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura ecclesiae. 8. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a sede apostolica, vel ab eiusdem legatis aut delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes. 9. Omnes falsarios litterarum apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum pontificem, vel S. E. R. vice-cancellarios seu gerentes vices eorum aut de mandato eiusdem Romani pontificis signatarum; necnon falso publicantes litteras apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes vice-cancellarii aut gerentis vices praedictorum. 10. Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem. 11. Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes. 12. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut iura ad ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis, necnon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari, et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam regularibus cuiuscumque ordinis, congregationis, societatis et instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis ecclesiae, si convaluerint.

Excommunicationes latae sententiae Romano pontifici reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Romano pontifici reservatae subiacere declaramus: 1. Docentes vel defendentes sive publice sive privatim propositiones ab apostolica sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis prouti damnata est a Benedicto XIV. in const., *Suprema,* 7. Iulii 1745, *Ubi primum,* 2. Iunii 1746, *Ad eradicandum,* 28. Septembris 1746. 2. Violentas manus suadente diabolo iniicientes in clericos, vel utriusque sexus monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut episcopus aut alius absolvat. 3. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis. 4. Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae, aut aliis eiusdem generis sectis quae contra ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur, necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes, earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint. 5. Immunitatem asyli ecclesiastici violare iubentes aut ausu temerario violantes. 6. Violantes clausuram monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a s. Pio V. in constit., *Decori,* praescriptam. 7. Mulieres violantes regularium virorum clausuram et superiores aliosve eas admittentes. 8. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque eorumque complices. 9. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis. 10. Reos simoniae realis ob ingressum in religionem. 11. Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur constitutione s. Pii V., *Quam plenum,* 2. Ianuarii 1564. 12. Colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes faciendo eas celebrari in locis, ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent. 13. Omnes qui excommunicatione mulctantur in constitutionibus s. Pii V., *Admonet nos,* quarto Kalendas Aprilis 1567., Innocentii IX., *Quae ab hac sede,* pridie nonas Novembris 1591., Clementis VIII., *Ad Romani pontificis curam* 26. Iunii 1592. et Alexandri VII., *Inter ceteras,* nono Kalendas Novembris 1660. alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus. 14. Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum extremae unctionis aut eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia. 15. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes. 16. Communicantes cum

excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso ei scilicet impendendo auxilium vel favorem. 17. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

Excommunicationes latae sententiae episcopis sive ordinariis reservatae.

Excommunicationi latae sententiae episcopis sive ordinariis reservatae subiacere declaramus: 1. Clericos in sacris constitutos vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes, necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes. 2. Procurantes abortum effectu sequuto. 3. Litteris apostolicis falsis scienter utentes vel crimini ea in re cooperantes.

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus: 1. Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos. 2. Laedentes aut perterrefacientes inquisitores, denunciantes, testes aliosve ministros s. Officii, eiusve sacri tribunalis scripturas diripientes aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico, ad formam Extravagantis, *Ambitiosae,* De reb. eccl. non alienandis. 4. Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem confessarios sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a praedecessoribus nostris Gregorio XV. constit., *Universi,* 20. Augusti 1622. et Benedicto XIV. constit., *Sacramentum poenitentiae,* 1. Iunii 1741. Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque, quos sacrosanctum concilium Tridentinum, sive reservata summo pontifici aut ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione, excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus, excepta anathematis poena in decreto sess. IV. *De editione et usu sacrorum librorum* constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt.

Suspensiones latae sententiae summo pontifici reservatae.

1. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum s. sedis capitula et conventus ecclesiarum et monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt episcopos aliosve praelatos de praedictis ecclesiis seu monasteriis apud eamdem s. sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint litteras apostolicas de sua promotione. 2. Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. 3. Suspensionem per annum ab ordinum administratione

ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque ordinarii eius loci litteris testimonialibus. 4. Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo. 5. Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso iure incurrunt religiosi eiecti extra religionem degentes. 6. Suspensionem ab ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eumdem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio; eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus. 7. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo ordinario absque licentia card. Urbis vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio ordinario, posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint, nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui ordinarii ad alium directis quam ad card. Urbis vicarium, vel non praemissis ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum s. sedis ipso iure incurrunt; episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum.

Interdicta latae sententiae reservata.

1. Interdictum Romano pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt universitates, collegia et capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani pontificis pro tempore existentis ad universale futurum concilium appellantia. 2. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab ordinario vel delegato iudice vel a iure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittentes interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure incurrunt donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint. Denique quoscumque alios sacrosanctum concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus. Quae vero censurae sive excommunicationis sive suspensionis sive interdicti nostris aut praedecessorum nostrorum constitutionibus aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro R. pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque ordinum et institutorum

regularium, necnon quorumcumque collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum, cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse et in suo robore permanere volumus et declaramus. Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab apostolica sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit; quae vero privilegia aut facultates, sive a praedecessoribus nostris, sive etiam a Nobis cuilibet coetui, ordini, congregationi, societati et instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito atque etiam speciali mentione digno, a quovis unquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes nostra hac constitutione revocatas, suppressas et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis vel non in corpore iuris aut apostolicis constitutionibus, et quavis confirmatione apostolica vel immemorabili etiam consuetudine aut alia quacumque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus et cum quibusvis derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus. Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatum a Tridentina synodo episcopis concessam *Sess. XXIV. cap. VI. de reform.* in quibuscumque censuris apostolicae sedi hac nostra constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem apostolicae sedi speciali modo reservatas declaravimus. Decernentes has litteras atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus constitutionibus praedecessorum nostrorum atque etiam nostris aut ex aliis sacris canonibus quibuscumque etiam conciliorum generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos ac apostolicae sedis nuncios ac quosvis alios quacumque praeeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, necnon consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario

contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo nono, quarto Idus Octobris, pontificatus nostri anno vigesimo quarto.

TITULUS XVIII.

DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBUS.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. I. Regulares laicos et clericos saeculares a sententia excommunicationis ab homine lata nullatenus absolvere possint. (Est integer textus.)

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. II. Doctrina de sanctissimo poenitentiae sacramento; videlicet de eius necessitate et institutione, de eiusdem et baptismi differentia, de eius partibus et fructibus; de contritione, de confessione, de ministro et absolutione; de casuum reservatione; de satisfactionis necessitate et fructu deque operibus satisfactoriis. Canones omnes de poenitentiae sacramento afferuntur. *

Tit. XVIII. Cap. I. Const., *Dum intra mentis*, dat. 19. Dec. 1519, §. 7; in E. L. n. 22, I, 582.

Cap. II. Sess. XIV. Doctrina de s. poenitentiae sacramento, cap. 1—9 cum XV. canonibus ad hanc doctrinam spectantibus.

* Propositio XXXVII. synodi Pistoriensis *de auctoritate absolvendi* a Pio VI. per const., *Auctorem fidei*, 28. Aug. 1794 damnata ita sonat: Doctrina synodi, quae de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enunciat, *post institutionem dioecesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque iudicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii sive iure quodam personali, propterea* quod *aliter confusio induceretur et perturbatio;* quatenus post institutas dioeceses et parochias enuntiat tantum modo *conveniens esse ad praecavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos;* sic intellecta, tamquam ad validum usum huius potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa iurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam: falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et iniuriosa, erronea.

Propositio XLIV. *de reservatione casuum* damnata haec est: Propositio synodi asserens, *reservationem casuum nunc temporis aliud non esse, quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem;* falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva.

Item (prop. XLV.), de spe, quam ostendit fore, *ut reformato rituali et ordine poenitentiae nullum amplius locum habiturae sint huiusmodi reservationes;* prout attenta generalitate verborum innuit, per reformationem ritualis et ordinis poenitentiae factam ab episcopo vel synodo aboleri posse casus, quos Tridentina synodus (sess. XIV. c. 7.) declarat pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa ecclesia tradita peculiari suo iudicio reservare: propositio falsa, temeraria, concilio Tridentino et summorum pontificum auctoritati derogans et iniuriosa.

Clemens Papa VIII.

a. Sententia asserens, licere in absentia per scriptum vel per internuncium peccata sua sacramentaliter confiteri, et confessario absenti huiusmodi confitentes absolvere, damnatur.

SSmus D. N. . . . re mature ac diligenter considerata hanc propositionem, scilicet licere per literas seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam damnavit ac prohibuit praecepitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve unquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur*.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. III. Quaestorum eleemosynarum nomen et usus tollitur. Indulgentias et spirituales gratias ordinarii publicent. Duo de capitulo eleemosynas gratis accipiant.

Ex eodem.

Cap. IV. Nullus confessiones audiat, nisi ab ordinario approbatus. **

Pius Papa V.

Cap. V. Regulares cuiuscunque ordinis vel gradus ad praescriptum concilii Tridentini confessiones saecularium non audiant, nisi ab ordinario approbati. Semel approbati ab eodem episcopo iterum non examinentur. Ab episcopo autem successore pro maiori conscientiae suae quiete examinari de novo poterunt.

Urbanus Papa VIII.

b. Indulta omnia religiosis ordinibus quibuscunque concessa audiendi saecularium personarum confessiones absque praevio ordinarii examine et approbatione revocantur.

---

a. Decretum, *Sanctissimus dominus*, dat. 20. Iulii 1602; in E. L. n. 87, III, 150.

* Paulus V. d. 14. Iul. 1605 in congr. s. Officii declaravit, hoc decretum etiam in sensu diviso, h. e. de confessione vel de absolutione seorsim, valere. Clemens VIII. vivae vocis oraculo enunciavit, se non intendere casum, quo moribundus sensibus destitutus, quem adstantes absolutionem antea petiisse testentur, absolvendus esset.

Cap. III. Sess. XXI. de ref. c. 9. Conf. Pii V. const., *Etsi dominici*, dat. 8. Febr. 1567 (in E. L. n. 30, II, 228), qua indulgentiae quaestuandi facultatem continentes revocantur.

Cap. IV. Sess. XXIII. de ref. c. 15.

** De ordinariis monialium confessariis (vide supra c. 14, p—y. de regular. III, 17) s. congreg. episc. et regular. in Comensi 4. Martii 1591, in Ragusina 2. Octobr. 1626 et saepe alibi decrevit, eos triennio ab obtenta approbatione elapso non posse ultra audire monialium confessiones in eodem monasterio per aliud triennium absque licentia s. congregationis, quod etiam locum habere declaravit in confessario conservatorii puellarum vel aliarum quarumcunque mulierum.

Cap. V. Const., *Romani pontificis*, dat. 6. Aug. 1571, §. 2; in E. L. n. 133, II, 308. Conf. Clemens VIII. const., *Quaecunque*, dat. 7. Dec. 1604, §. 9; in E. L. n. 115, III, 182.

b. Const., *Quum sicut accepimus*, dat. 12. Sept. 1628; in E. L. n. 92, IV, 161.

Clemens Papa X.

c. *Religiosi, qui ad confessiones audiendas ab ordinario idonei reperti fuerint, generaliter et indistincte, absque limitatione temporis, locorum et generis personarum in dioecesi propria admittendi sunt. Quos si non adeo idoneos invenerit, potest episcopus cum limitata facultate approbare et admittere. Semel autem et generaliter approbati possunt in dioecesi quovis anni tempore, etiam parochiali, et quorumcunque infirmorum confessiones audire absque ulla alia episcopi vel parochorum licentia. Tenentur tamen de infirmorum confessione parochum illico certiorem reddere, quae certioratio per scripturam apud ipsum infirmum relictam fieri potest. Ii, qui dictis religiosis simpliciter approbatis confessi fuerint, constitutioni, quae incipit* „Omnis utriusque sexus“ *quoad confessiones dumtaxat satisfaciunt. Regulares praevio examine generaliter admissi, non possunt ab eo, qui sic approbavit, iterum examinari vel ab audiendis confessionibus suspendi nisi nova superveniente causa, quae confessiones concernat. Religiosi cum scandalo aut alias inhoneste viventes vel delicti alicuius rei ex rationabili episcopi iudicio a confessionibus audiendis suspendi possunt.*

Idem.

d. *Regulares ab episcopo ad confessiones saecularium in sua dioecesi audiendas approbati, in alia dioecesi absque episcopi dioecesani approbatione confessiones audire non possunt, quamvis poenitentes subditi sint eius episcopi, a quo ipsi regulares iam approbati fuerint.*

Benedictus Papa XIV.

e. *Indultum eligendi confessarium ab ordinario approbatum pro absolutione a criminibus vel censuris aliisque casibus reservatis intelligendum est de confessario approbato ab actuali ordinario illius loci, ubi confessiones excipiuntur; alias eiusmodi absolutiones nullae sint.*

Clemens Papa VIII.

f. *Facultates a sede apostolica in bulla Cruciata vel aliis literis apostolicis concessae eligendi sibi confessarium idoneum ab ordinario approbatum, qui possit fideles absolvere a casibus ordinario et sedi apostolicae reservatis, ad regulares utriusque sexus non sunt extendendae, quippe qui quoad administrationem sacramenti poenitentiae ordinationibus superiorum regularium subiacere debeant.*

Benedictus Papa XIV.

g. *In concessione facultatis absolvendi ab omnibus censuris sedi apostolicae reservatis, etiam in bulla Coeni contentis, nunquam intelligitur concessa auctoritas absol-*

---

c. Const., *Superna magni*, dat. 21. Iunii 1670; in E. L. n. 7, VI, 305.

d. Constitutio, *Superna magni*, citata.

e. Const. *Apostolica indulta*, dat. 5. Aug. 1744 (Bullar. Bened. XIV. T. 1.).

f. Const., *Romani pontificis*, dat. 23. Nov. 1597; in E. L. n. 64, III, 100; Clementinam hanc constitutionem confirmavit Urbanus VIII. const., *In specula*, dat. 19. Iunii 1630; in E. L. n. 105, IV, 175.

g. Const., *Inter praeteritos*, dat. 3. Dec. 1749, §. 38 (Bullar. Bened. XIV. T. III.). Benedictus XIV. constit. *Convocatis*, dat. 25. Nov. 1749, n. VII. poenitentiariis omnibus per annum Iubilaei in Urbe constitutis facultatem concessit absolvendi „pro foro conscientiae tantum, a censuris propter haeresim formalem externam incursis, dummodo tamen

vendi ab haeresi formali externa, etiam occulta, quamvis verba indulti generalia ac generalissima sint, nisi haeresis expresse et individualiter nominetur. *

Idem.

h. Non licet confessario a poenitente nomen complicis, hoc est personae, cum qua peccatum perpetravit, exquirere multoque minus ad illud sibi revelandum eumdem obligare. Praxis eiusmodi damnatur tamquam scandalosa et perniciosa ac tam famae proximorum quam ipsi etiam sacramento iniuriosa, tendens ad sigilli sacramentalis violationem, atque ab eiusdem poenitentiae sacramenti usu fideles abalienans.

---

poenitens neminem habeat haeresis complicem, praevia coram ipso confessario abiuratione secreta; atque etiam pro casu, quo poenitens habeat quidem haeresis complicem, sed huiusmodi complex in regionibus, ubi haeresis impune grassatur, existat et degat.“ — Pius IX. const., *Nemo certe*, dat. 11. April 1869, qua indulgentia plenaria in forma Iubilaei conceditur, confessariis auctoritatem fecit absolvendi Christifideles a censuris . . . necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum ordinariis . . . et sedi apostolicae speciali licet forma reservatis, et quorum absolutio alias quantumvis ampla non intelligeretur concessa“. Ad dubium propositum „Se nelle facoltà del giubileo sia anche quella di assolvere i penitenti dall' eresia?“ s. poenitentiaria d. 1. Iunii 1869 rescripsit: Affirmative, abiuratis prius et retractatis erroribus prout de iure.

* De absolutione a casibus bulla Benedicti XIV., quae incipit, *Sacramentum poenitentiae*, reservatis vide supra h. de rescriptis I, 3; quod attinet ad absolutionem a casibus episcopis reservatis, supra i. de rescriptis I, 3. Quoad censuras in constitutione, *Apostolicae sedis*, summis pontificibus specialiter reservatis vide supra k. de rescriptis I, 3 et ipsam constitutionem integre descriptam supra a. de poenis V, 17.

Quum facultates absolvendi et dispensandi confessariis tempore Iubilaei concedi solitae iuxta tenorem atque interpretationis normam constitutionum a Benedicto XIV. pro tempore Iubilaei anni MDCCL. datarum nostris etiam temporibus in usu sint, Benedictinas istas constitutiones brevi describam:

Const.. *Annus Iubilaei*, dat. 3. Mart. 1749 (Bullar. Bened. XIV. T. III.) de praeparatione ad annum Iubilaei universalis, ac praesertim de reparandis ecclesiis Urbis. Const. *Iam vobis*, dat. 5. Maii 1749 pro indictione Iubilaei universalis. Const., *Peregrinantes*, dat. 5. Maii 1749, qua universale Iubilaeum publicatur. De operibus iniunctis et indulgentiis plenariis disseritur. Const., *Quum nos nuper*, dat. 17. Maii 1749. Indulgentiae et facultates durante anno Iubilaei suspenduntur; nonnullae excipiuntur. Const., *Apostolica*, dat. 26. Iunii 1749. De peregrinationibus ad sepulcra apostolorum Petri et Pauli, quae admodum fidelibus commendantur. Quae ad hanc peregrinationem gratiasque acquirendas requirantur exponitur. Const., *Convocatis*, dat. 25. Nov. 1749. De poenitentiariis in basilicis et ecclesiis Urbis designandis et de facultatibus ab istis exercendis. Const., *Inter praeteritos*, dat 3. Dec. 1749. Quaestiones et controversiae olim excitatae de operibus iniunctis pro gratiis Iubilaei acquirendis, de facultatibus concessis earumque usu exponuntur et dirimuntur. Const., *Paterna charitas*, dat. 17. Dec. 1749. Indulgentiae anni sancti monialibus, oblatis, tertiariis aliisque in communitate viventibus puellis necnon pro infirmis et in carceribus detentis publicantur. Const., *Pastoris aeterni*, dat. 7. Dec. 1749. Regulares apostatae ad suos ordines cum poenarum condonatione revocantur. Const., *Benedictus deus*, dat. 25. Dec. 1750. Iubilaeum universale ad universum catholicum orbem extenditur. Const., *Celebrationem*, dat. 1. Ian. 1751. Nonnulla de Iubilaei extensione, gratiis facultatibusque concessis declarantur.

h. Const., *Suprema*, dat. 7. Iulii 1745 (Bullar. Bened. XIV, T. I.).

Idem.

i. *Censuram excommunicationis summo pontifici reservatam ipso facto incurrunt, qui praxim a Benedicto XIV. in (praedicta) constitutione* „Suprema“ *damnatam docere, defendere vel decreta in alienos sensus temere detorquere praesumpserint. Confessarii vero inquirentes a poenitente nomen complicis in peccato, eidemque poenitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegantes suspensioni ab audiendis confessionibus subiaceant. Contra docentes vel defendentes pravam illam praxim, necnon contra confessarios eamdem* uti licitam *in poenitentiae tribunali adhibentes, tamquam de prava credulitate suspectos, inquisitores h. pr. procedant. Contra confessarios exquirentes nomina complicum vel manifestare renuentibus absolutionem denegantes, sed praxi reprobatae non ut licitae adhaerentes, ordinarii locorum procedant eosque suspensione ab audiendis confessionibus aliave poena condigna puniant.*

Idem.

k. *Constitutiones* „Suprema“ *et* „Ubi primum“ *Benedicti XIV. generalis legis vim habere, et reprobatam praxim in se ipsa et ubique locorum damnatam esse declaratur, nec ulli licitum esse contra doctrinam in constitutionibus relatam docere, scribere vel eam impugnare aut ipsi actu contraire.* *

Pius Papa IV.

l. *Inquisitores h. pr. polleant facultate procedendi contra sacerdotes quoscunque, etiam regulares vel alios quomodolibet exemptos, qui mulieres poenitentes, dum earum confessiones audiunt, ad actus inhonestos provocare et allicere tentaverint. Condignis poenis in huiusmodi sacerdotes animadvertendum.*

Gregorius Papa XV.

m. *Confirmata constitutione Pii IV. laudata constituitur et declaratur, omnes sacerdotes, qui personas, quaecunque illae sint, ad inhonesta, sive inter se sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu sacramentalis confessionis sive antea vel post immediate, seu occasione vel praetextu confessionis, etiam ipsa confessione non secuta, sive extra occasionem confessionis in confessionario aut in loco quocumque, ubi confessiones sacramentales audiantur, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, ab inquisitoribus h. pr. et locorum ordinariis poenis gravissimis puniantur.*

Benedictus Papa XIV.

n. *Confirmantur praedecessorum pontificum decreta contra sacerdotes sollicitantes ad turpia in confessione lata. Contra eos etiam cum testibus singularibus pro-*

---

i. Const., ***Ubi primum***, dat. 2. Iunii 1742 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).

k. Const., ***Ad eradicandum***, dat. 28. Sept. 1746 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).

* Pius IX. const., ***Apostolicae sedis***, supra a. de poenis, V, 17 citata, docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis prout damnata est a Benedicto XIV. in citatis constitutionibus, excommunicationi summo pontifici reservatae ipso iure subiacere denuo declaravit.

l. Const., ***Quum sicut nuper***, dat. 16. April. 1561; in E. L. n. 31, II, 48.

m. Const., ***Universi***, dat. 20. Aug. 1622; in E. L. n. 34, III, 485.

n. Const., ***Sacramentum poenitentiae***, dat. 1. Iunii 1741 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

cedi potest, dummodo praesumptiones, indicia et alia adminicula concurrant. Omnes sacerdotes ad audiendas sacras confessiones constituti obligantur monere suos poenitentes, ut sollicitantes huiusmodi, quam primum poterunt, inquisitoribus aut locorum ordinariis deferant, eosdemque poenitentes non absolvere, qui huic adimplendo muneri parere recusent. Apostolicae sedi reservantur, excepto mortis articulo, eorum casus, qui innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant vel sceleste procurant, ut id ab aliis fiat. Sacerdoti cuilibet omnis facultas et iurisdictio ad sacramentales confessiones personae complicis in peccato turpi contra sextum decalogi praeceptum commisso excipiendi adimitur, nisi extrema prorsus urgeat necessitas, nimirum si in ipsius mortis articulo alter sacerdos desit, qui confessarii munere fungatur. Apostolicae sedi reservatur absolutio ab excommunicatione quam ipso facto incurrunt, qui complicem in peccato turpi absolvere ausi fuerint. Nulli omnino confessario, nec in vim cuiuscunque Iubilaei nec alterius cuiuscunque indulti, concessa unquam censeatur facultas absolvendi personam complicem in peccato turpi.

Idem.

o. *Interdictum, ne sacerdos personam complicem in peccato turpi, etiam in mortis periculo constitutam, absolvat, si alius sacerdos adsit, qui confessarii munere fungatur, ita intelligendum est, ut etiam tunc subsistat, si alius sacerdos, quamvis simplex et ad audiendas confessiones non approbatus, adsit, quum eo in casu ipse simplex sacerdos confessionem excipere et absolutionem impertiri valeat. Si vero casus urgentis qualitas et concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, eiusmodi fuerint, ut alius sacerdos sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo vocari vel accedere nequeat, non prohibetur sacerdos socius criminis, ne poenitentem ab eo quoque crimine absolvat. Quodsi sacerdos nulla necessitate urgente personam complicem in mortis articulo constitutam absolvere praesumpserit, absolutio quidem valida sit, quum hoc casu eiusmodi sacerdoti quamvis indigno iurisdictio non ademta sit, sed ipse excommunicationem maiorem ipso facto incurrat, a qua non nisi a summo pontifice absolvi possit.* *

Idem.

p. *Sacerdotes tum saeculares quam regulares in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione aut praetextu ad turpia sollicitantes, praeter poenas a iure et apostolicis constitutionibus eis inflictas, etiam ad s. missae sacrificium celebrandum perpetuo inhabiles declarantur.* **

---

o. Const., *Apostolici muneris*, dat. 8. Febr. 1745 (Bullar. Bened. XIV. T. I.).

* Pius IX. const., *Apostolicae sedis*, (cf. supra a. de poenis V, 17) censuram excommunicationis, quam ipso facto incurrunt „absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem speciali modo Romano pontifici reservavit. Idem in eadem constitutione negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem confessarios sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Gregorio XV. const., *Universi*, et Benedicto XIV. const., *Sacramentum poenitentiae*, excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaravit.

p. Decretum s. et u. inquisitionis super perpetua inhabilitatione sacerdotum ad turpia sollicitantium, dat. 5. Aug. 1745 (Bullar. Bened. XIV. T. I. in appendice.).

** Formam procedendi a congr. s. et u. inquisitionis die 20. Febr. 1867 publicatam

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. VI. Potestas concedendi indulgentias a Christo ecclesiae est concessa. In iis concedendis moderatio est adhibenda; pravi quaestus et abusus abolendi sunt. *

---

supra g. de iudiciis II, 1 descripsimus. Alteram ab eadem congr. die 23. Mart. 1726 ad custodiendum sigillum sacramentale in ordine iudiciali editam, ex synodo dioecesana habita in cathedrali ecclesia Centumcellarum a. 1846 a S. R. E. cardinale Macchio, episcopo Portuensi s. Rufinae et Centumcellarum (p. 109) desumtam adiicimus.

Istruzione sulla materia delle denuncie di sollecitazione de' confessori per la custodia del sigillo sagramentale. — La santità di Nostro Signore e questi miei eminentissimi colleghi generali Inquisitori considerando, che i rei di sollecitazione nelle sagramentali confessioni facilmente possono incorrere, o nelle spontanee comparse o nei costituti, nella rivelazione delle confessioni sagramentali, senza fare riflessione alla violazione del sigillo sagramentale, che è *de iure divino* e indispensabile per qualsisia gravissima causa, anche d'eresia, hanno perciò stimato espediente di rinnovare a cautela gli avvertimenti altre volte datesi a V. S. ed a tutti gli altri vescovi ed inquisitori d'Italia, acciò nelli processi di sollecitazione o sia nelle spontanee comparse o nei costituti, non rivelino anche innocentemente le confessioni con dire: *Confessandosi da me la tale di pensieri, e atti disonesti le dissi ecc.* Ma procedendo V. S. con la solita sua attenzione ammonirà i sponte comparenti, e nei costituti a non deporre cosa alcuna, che concerne il sigillo delle sagramentali confessioni, ma di riferire solamente ciò che risguarda il fatto o detto di essi sollecitanti: *Confessandosi da me N. N. le dissi ecc. o feci ecc.* senza dire altro in ordine alla confessione de' penitenti, e se cadessero nell' errore di rivelare le confessioni, non si dovrà la loro deposizione in questa parte ricevere in processo; e se mai per inavvertenza di qualche ministro, che acremente correggerà, si trovasse scritta in qualche processo, si dovranno cassare dalli processi originali tutte quelle circostanze, che risguardano la detta rivelazione di confessioni sagramentali. Così con la solita sua attenzione dovrà V. S. regolarsi, ed il presente avvertimento comunicherà a tutti i suoi vicari, che hanno facoltà di far processi in materia di fede, acciò con la dovuta attenzione invigilino all' esecuzione del presente ordine, e Dio la prosperi. Di V. S. Roma 23 Marzo 1726. Come Fratello F. Cardinal Paolucci.

Cap. VI. Sess. XXV. Decretum de indulgentiis.

* Constitutione, *Auctorem fidei*, dat. 28. Aug. 1794 Pius VI. sequentes propositiones synodi Pistoriensis damnavit: XL. Propositio asserens, *indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti;* quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam: falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa, dudum in art. 19. Lutheri damnata. XLI. Item, in eo, quod subditur, *scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum, et claraе notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum;* quasi thesauri ecclesiae, unde papa dat indulgentias, non sit merita Christi et sanctorum: falsa, temeraria, Christi et sanctorum meritis iniuriosa, dudum in art. 17. Lutheri damnata. XLII. Item, in eo, quod superaddit, *luctuosius adhuc esse, quod chimaerica isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos:* falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos pontifices iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum iterum damnatum in art. 22. Lutheri.

Censuram excommunicationis Pii V. constitutione, quae incipit, *Quam plenum*, dat. 2. Ian. 1570 latam in eos, qui ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus quaestum fecerint, Pius IX. const., *Apostolicae sedis* (vide supra a. de poenis V, 17), confirmavit.

Paulus Papa V.

q. *Indulgentiae ordinibus religiosis tam vigore privilegiorum et literarum apostolicarum quam vivae vocis oraculo aut alias quovis modo per Romanos pontifices concessae revocantur. Novae indulgentiae regularibus conceduntur, quae singulae enumerantur cum appositis conditionibus, quibus eas acquirere fas est.*

Benedictus Papa XIV.

r. *Facultas episcoporum benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis impertiendi ampliatur et ordinariis auctoritas conceditur subdelegandi per dioecesim alios sacerdotes qui hanc gratiam moribundis impertiantur. Formula pro impertienda benedictione et plenaria indulgentia moribundis fidelibus applicanda praescribitur.*

Clemens Papa XIII.

s. *Episcopis et praelatis inferioribus cum territorio separato facultas conceditur, certis anni diebus festivis impertiendi populo apostolicam benedictionem. Quae in eo observanda sint exponuntur.*

Benedictus Papa XIV.

t. *Praescribitur ritus impertiendi populo apostolicam benedictionem servandus a regularibus, quibus huiusmodi privilegium competit.*

Clemens Papa XIII.

u. *Regularium ordinibus, qui pollent facultate sollemniter benedicendi populo, ea facultate non nisi prius obtenta ordinarii venia uti liceat.*

Pius Papa IX.

x. *Fidelibus habitualiter infirmis in ordine ad acquirendas indulgentias providetur, ut iniunctis aliis piis operibus loco s. communionis et ecclesiae alicuius visitationis praescriptarum indulgentias acquirere valeant.*

Est hoc in more positum, quod ab animarum pastoribus sanctissimum eucharistiae sacramentum in aliquibus tantum infra annum praecipuis festivitatibus ad fideles habitualiter infirmos, chronicos, ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes solemniter deferatur, proindeque huiusmodi fideles tot plenariis indulgentiis privantur, quas consequerentur, si conditionibus iniunctis adimpletis ad s. eucharisticam mensam frequentius possent accedere. Itaque quamplures animarum curatores aliique permulti ecclesiastici viri humillimas preces porrexerunt SSmo. D. N. Pio PP. IX., ut de apostolica benignitate super hoc providere digna-

---

q. Const., *Romanus pontifex*, dat. 23. Maii 1606; in E. L. n. 21, III, 229.

r. Const., *Pia mater*, dat. 5. April. 1747 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).

s. Const., *Inexhaustum*, dat. 3. Sept. 1762 (Continuat. bullarii Rom. T. II. p. 293.).

t. Const., *Exemplis*, dat. 19. Mart. 1748 (Bullar. Bened. XIV. T. II.).

u. Const., *Decet Romanos*, dat. 30. Aug. 1763 (Continuat. bullarii Rom. T. II. pag. 399.).

x. Decretum Urbis et Orbis s. congr. indulgentiarum et ss. reliquiarum ex audientia SSmi. habita d. 18. Sept. 1862. Archiv. IX, 322.

retur, factaque per me infrascriptum secretariae s. congregationis indulgentiarum substitutum eidem Sanctissimo de his omnibus fideli relatione in audientia habita die 18. Septembris 1862 Sanctitas Sua spirituali gregis sibi crediti utilitati prospiciens clementer indulsit, ut praefati Christi fideles, exceptis tamen illis, qui in communitate morantur, acquirere possent omnes et singulas indulgentias plenarias iam concessas vel in posterum concedendas, quasque alias acquirere possent in locis, in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione praescripta sit sacra communio et visitatio alicuius ecclesiae vel publici oratorii in locis iisdem, dummodo vere poenitentes confessi ac caeteris omnibus absolutis conditionibus, si quae iniunctae fuerint, loco s. communionis et visitationis alia pia opera a respectivo confessario iniungenda fideliter adimpleant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla brevis expeditione. Non obstantibus contrariis quibuscunque*.

Pius Papa V.

Cap. VII. Medici, quum ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, eos moneant, ut sacerdoti peccata confiteantur, neque tertio die ulterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo confessor ob aliquam rationabilem causam concesserit; poenis in decretum peccantibus medicis constitutis. Nulli doctoratus gradus vel medendi facultas concedatur nisi prius praedicta se observaturum iuramento promiserit.

TITULUS XIX.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS, SUSPENSIONIS ET INTERDICTI.

Urbanus Papa VI.

Cap. I. Magistratus vel officiales laici, qui personas ecclesiasticas proscripserint vel relegaverint, necnon omnes ad huiusmodi facinus consilium auxiliumve dantes poenis gravissimis plectantur.

Leo X. in generali concilio Lateranensi.

Cap. II. Regulares censuras ab ordinariis latas et in ecclesia cathedrali parochialibusque ecclesiis promulgatas, ab ordinariis requisiti, in suis ecclesiis publicare debent.

---

* De indulgentiarum concessione religiosis confraternitatibus aliisve piis unionibus facta necnon de communicatione privilegiorum et indulgentiarum vide supra g'. — i'. de regularibus III, 17.

Cap. VII. Const., *Super gregem*, dat. 8. Mart. 1566, §. 3—7; in E. L. n. 3, II, 190.

Tit. XIX. Cap. I. Const., *Quia sicut*, dat. 10. Dec. 1383, §. 1 (quae in compendium redacta est), in E. L. n. 3, I, 272.

Cap. II. Const., *Dum intra mentis*, dat. 19. Dec. 1519, §. 15; in E. L. n. 22, I, 582.

Ex generali concilio Tridentino.

Cap. III. Excommunicationis gladio temere non utendum. Ubi exsecutio realis aut personalis fieri potest, a censuris abstinendum, iisque civili magistratui se immiscere nefas esto.

Gregorius Papa XIV.

Cap. IV. Innovatur Bonifacii VIII. constitutio contra eos edita, qui de concedenda vel obtinenda gratia et iustitia in curia Romana stipulationes vel promissiones fecerint aut pro obtinenda gratia vel iustitia aliquid dederint vel receperint. Condignis poenis in eos animadvertendum est. *

TITULUS XX.

DE VERBORUM SIGNIFICATIONE.

Pius Papa V.

Cap. I. Declaratur inter mendicantes recensendos esse fratres quatuor mendicantium ordinum s. Dominici, s. Francisci, Heremitarum s. Augustini et Carmelitarum, necnon fratres servorum beatae Mariae et fratres minimorum s. Francisci de Paula ac s. Hieronymi Iesuatorum, etiamsi praedicti propria bona mobilia vel immobilia possideant, ita ut omnes omnibus privilegiis quocunque modo mendicantibus concessis frui possint.

Cap. III. Sess. XXV. de ref. c. 3.

Cap. IV. Const., *Ab ipso*, dat. 9. Nov. 1574: in E. L. n. 24, II. 419. Conf. Pii IV. const., *Decet Romanum*, dat. 9. Octobr. 1563.

* Pii IX. constitutionem, *Apostolicae sedis*, de limitatione censurarum ecclesiasticarum datam vide supra a. de poenis I, 17.

Tit. XX. Cap. I. Const., *Romanus pontifex*, dat. 1. Octobr. 1567, §. 1 et 2, quae tamen in compendium redacta est; in E. L. n. 44, II, 250.

[In calce originalis leguntur verba haec:]

FINIS LIBRI QUINTI ET TOTIUS OPERIS, DIE XXV. IULII 1598.

TITULI DECRETALIUM.

A.

De Accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus. Lib. V. tit. 1.
— Aetate et qualitate et ordine praeficiendorum. I. 9.
— Appellationibus. II. 9.
— Apostatis. V. 6.

B.

— Baptismo et eius effectu. III. 24.

C.

— Celebratione missarum, sacramento eucharistiae et aliis divinis officiis. III. 23.
— Clandestina desponsatione. IV. 2.
— Clericis peregrinis. I. 12.
— Clericis coniugatis. III. 3.
— Clericis non residentibus. III. 4.
— Clerico per saltum promoto. V. 15.
— Cognatione spirituali. IV. 3.
— Cohabitatione clericorum et mulierum. III. 2.
— Concessione praebendae et ecclesiae non vacantis. III. 6.
— Consanguinitate et affinitate. IV. 5.
— Consecratione ecclesiae vel altaris. III. 22.
— Constitutionibus. I. 2.
— Conversione infidelium. III. 18.

D.

— Decimis, primitiis et oblationibus. III. 16.
— Donationibus. III. 12.

E.

— Ecclesiis aedificandis vel reparandis. III. 25.
— Electione. I. 4.
— Emptione et venditione. III. 26.
— Eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae vel sponsae. IV. 4.

F.

De Feriis. II. 3.
— Filiis presbyterorum et aliis illegitime natis. I. 11.
— Foro competenti. II. 2.
Furtis. V. 12.

H.

— Haereticis. V. 5.
Homicidio. V. 8.

I.

— Immunitate ecclesiarum. III. 27.
Iudiciis. II. 1.
— Iureiurando. II. 7.
— Iurepatronatus. III. 21.
— Iudaeis, Saracenis et eorum servis. V. 4.

L.

— Locato et conducto. III. 11.

M.

— Magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi. V. 3.
Maioritate et obedientia. I. 15.
— Maledicis. V. 14.

N.

Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant. III. 28.
Ne sede vacante aliquid innovetur. III. 7.

O.

De Officio et potestate iudicis delegati. I. 13.
— Officio ordinarii. I. 14.

P.

— Pactis. I. 16.
— Parochiis et alienis parochianis. III. 15.

De Privilegiis et excessibus privilegiatorum. V. 16.
— Praebendis et dignitatibus. III. 5.
— Poenis. V. 17.
— Poenitentiis et remissionibus. V. 18.
— Pugnantibus in duello. V. 10.

Q.

Qui filii sint legitimi. IV. 6.

R.

De Raptoribus. V. 11.
— Rebus ecclesiae alienandis vel non. III. 9.
— Regularibus et transeuntibus ad religionem. III. 17.
— Religiosis domibus. III. 20.
— Reliquiis et veneratione sanctorum. III. 25.
— Renunciatione. I. 6.
— Rescriptis. I. 3.

S.

— Sacra unctione. I. 10.
— Schismaticis. V. 6.
— Sententia et re iudicata. II. 8.
— Sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti. V. 19.
De Sepulturis. III. 14.
— Sequestratione possessionis et fructuum. II. 5.
— Simonia. V. 2.
Sponsalibus et matrimoniis. IV. 1.
— Statu regularium. III. 19.
— Summa Trinitate et fide Catholica. I. 1.
— Supplenda negligentia praelatorum. I. 7.

T.

— Temporibus ordinationum et qualitate ordinandorum. I. 8.
— Testamentis et ultimis voluntatibus. III. 13.
— Testibus. II. 6.
— Torneamentis. V. 9.
— Translatione episcoporum I. 5.

V.

Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. III. 8.
De Verborum significatione. V. 20.
— Vita et honestate clericorum. III. 1.
— Usuris. V. 13.
Ut lite pendente nihil innovetur. II. 4.

24070